num conventu, & celebritate vitam exhauriunt. *Oſorius l.2.rerum Emmanuelis.*

Non repugnando.

CAMBYSES Peluſium oppugnabat. Ægyptii fortiter reſiſtentes, aditum Ægypti clauſerunt, multaſque machinas immiſerunt, catapultis acuta tela mittentes, ſaxa, atque ignem. Cambyſes, quotquot animalia Ægyptii deorum honore colunt canes, oves, feles, ibides ante ſuum exercitum collocavit. Ægyptii jaculari deſtiterunt, metuentes, ne ſacrum aliquod animal læderent. Ad hunc modum Cambyſes Peluſio capto, in Ægyptum pervenit. *Polyænus l.7.*

VICTIMIS.

☞ *Vide Titulum, Sacrificiorum.*

JEPHTHE Judæorum judex, parta victoria de hoſtibus, quicquid ſibi fines intranti patrios primùm obveniſſet, Deo ſe gratiarum nomine immolaturum vovit. Obvenit filia. Eam ſuperſtitioſus pater ad aram mactavit, tam in ſolvendo crudelis, quàm in promittendo voto inconſideratus.

Omnibus ferè diis ſuæ victimæ, & ſua ſacra conſtituta fuere apud veteres, quæ præterire, & tranſgredi non erat fas. Namque aliena hoſtia dii non placantur. *Vide Alex, ab Alex.l.3.c.12.*

Apud Ægyptios ſi ingens ingruerit ſiccitas, quæ effuſè, vel morbos peſtilentes, vel calamitates alias nec opinatas, & portentoſas inducat: quaſdam ex iis animantibus, quas venerantur, in tenebras rapiunt ſacerdotes ſubmiſſim, & ſilentio, comminanturque eis, & territant primùm. Sin durent, devovent eas, mactantque: quòd ſcilicet arbitrantur ſupplicium quoddam dæmonis eſſe, aut procurationem magnis in noxis magnam. Namque in Idithyæ oppido homines vivos, ut eſt Manethon auctor, concremaverunt, quos Typhonios appellabant: quorum cinerem incernentes ad nihilum redigebant, & diſſipabant. Cęterum hoc uno tempore diebus canicularibus propalàm agebatur. At quando beſtias, quas colunt, immolant: id remotis arbitris, & temporibus incertis pro re nata peragitur clàm vulgò: niſi ubi exequias agunt, tum aliarum aliquas monſtrant omnibus aſſiſtentibus, eaſque unà in tumulum coniiciunt, Typhonis rati repungere, & coercere oblectationem. *Plut. de Iſide.*

LYCURGUS quærenti, Quid hoſtias adeò exiguas, & viles præſcripſiſſet? Ne unquam, inquit, Deum intermittamus colere. *Plut. in Apoph.*

Proditum memoriæ eſt, cùm Aulide adverſis tempeſtatibus Græci detinerentur, ubi repentè ſecundi venti flare cœperunt, mactaſſe ſtatim eos Dianæ, quaſcunque, vel feminas, vel mares habuit quiſque in promptu hoſtias. Manſiſſe dehinc ritum, ut quavis hoſtia Aulide litari poſſit. *Pauſan. in Bœotic.*

TEMPORIS, QUANDO. Puta in CONVIVIIS.

Tradit *interpres Ariſtophanis in Plut.* templum Athenis fuiſſe τ͂ διὸς σωτῆρος, quem eundem quidam ἐλάδιζον appellāt. Ejus mentionem facit *Athenæus in Dipnoſophiſtis, l.2.* addens olim fuiſſe morem, ut cibis appoſitis mox vinum indilutum infunderetur, quo nimirum declararent quanta vis eſſet boni Dei. Deinde cùm ſuo quiſque arbitrio diluiſſet, nomen Jovis Servatoris præfabantur, innuentes ita temperatum vinum, tutò, citràque noxam bibi. At *idem lib.11.* propemodum docet, & poſt cœnam à lotis manibus inferri ſolere calicem Jovis Servatoris, qui idem fuerit, cum eo, qui dictus eſt ἀγαθοῦ δαίμονος, Diphilum adducens auctorem, qui ſcripſerit in Sapphone:

Ἀρχίλοχε δέξαι τήνδε τὴν μεταναπτρίδα
Μεστὴν διὸς σωτῆρος ἀγαθοῦ δαίμονος.
Archiloche ſumito hanc tibi metanipridem,
Plenam Jovis Soteris optimi Dei.
Eraſmus in Adag.

Antiqui non guſtabant vinum, niſi priùs libaſſent alicui Deo, quo potus illius ceu pharmaci, ſibi innoxius eſſet, & ſalutaris. Athenis quidem undecimo menſis die immolabant vini primitias, eumque diem Pithœgiam appellabant. Aſt apud Bęotos ſeptimo menſis ineuntis die, ſacris peractis Bono dæmoni, guſtabant ab exorto Zephiro, quòd is ventus præcipuè ſuſcitet, moveatque vinum, adeò ut quòd illum effugerit, videatur jam duraturum. Menſis autem is vocabatur προστατήριος. *Plut.3.Sympoſ.7.*

VANDALI in conviviis, & compotationibus ſuis pateram olim certis verbis conſecrabant, ſub nominibus deorum, boni ſcilicet, atque mali: omnem proſperam fortunam à bono Deo, adverſam à malo dirigi petentes. Malum Deum lingua ſua Zcerneboch, hoc eſt, nigrum Deum, appellabant. *Crantz. lib.4.Vandaliæ, c.37.*

NUPTIIS.

Protelia, quaſi præparatoria dicas, diem appellant, quą nuptam virginem parentes in arcem ducunt ad deam, & victimas ob conjugium, quod & τέλος dicitur, immolant. *Suid.*

Bœotis, & Locris nihil erat in ſponſalibus firmum, niſi priùs ſponſus, & ſponſa in ara Eucliæ virgini dicata, libarent. *Alex.ab Alex.lib.1.c.24.*

Cùm mas, & femina conjunguntur, adhibetur Deus Jugatinus. Si domum eſt ducenda, quæ nubit, adhibetur Deus Domiducus. Ut in domo ſit, adhibetur Deus Domitius. Ut maneat, cum viro, additur dea Manturna. Ut ſine ulla difficultate virginitas auferatur, adeſt dea Virginenſis, & Deus pater Subigus, & dea mater Prema, & dea Partunda, & Venus, & Priapus. *D.Auguſt.l.16.de Civ.Dei, c.9.*

Lactantius lib.1. Mutinum eſſe Deum ait, in cujus ſinu pudendo nubentes primò ſedeant, ut illarum pudicitiam prior Deus delibaſſe videatur. Mutinus Priapus eſt, qui præſtet, ut in primo concubitu vir moveatur, virgo verò ne reluctetur: ut *Aug.* ſignificat *l.6. de Civ. Dei, c.9.* Feſtus auctor eſt, novam nuptam in lanata ſella ſollitam ſedere: vel quòd his veſtiebantur veteres, vel quòd lanificium profiteretur eſſe præſtatura. *Plutarchus in Problematis*, ſponſam inducentes, pellem ſubſternere, ipſam ſecum colum, & fuſum domo afferre ait.

ANCUS MARTIUS Fortunam Virili cognomento primus omnium dedicavit, quod fuit extra urbem ad Tiberis ripam: in quo mulieres, quæ nuptui dabantur, exutis veſtimentis omnibus conſpiciebantur, ne labe corporis, vel morbo ſponſus futurus deciperetur. *Alex.ab Alex.l.1.c.13.*

MAGISTRATUS INITIIS.

Primo anni die menſe Hecatombeone, in ſenatum venientes Senatores Athenienſium unà ſolemne quoddam ſacrificium faciebant, quòd ἐισιτήρια nominarunt, votaque pro rep. ſuſcipiebant. Vota verò ſuſcepta à ſenatu eſſe ad Jovis Bulæi, & Minervæ Buleæ ſacella, quæ erant in curia, docet apertè Antiphon. in oratione de Choreuta. *Sig.l.2.de rep.Ath.*

Conſules, Prætores, Dictatores Rom. cùm inibant magiſtratum, Lavinii rem divinam faciebant pariter pena tibus, pariter & Veſtæ. Erant autem Penates dii, per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi poſſidemus. Jupiter pro medio æthere, Juno imus aer cum terra, Minerva ſummus æther. *Macrob.l.3.Saturn.c.4.*

CONSILIIS.

CHARONDAS Locrenſis, ut conſultantes, agenteſque aliquid à diis ſumant auſpicia, ſuis legibus ſanxit. Optimum enim eſt, ut parœmia fert, Deum cauſam, & auctorem eſſe illorum omnium. *Stobæus Sermone 42.*

AUGUSTUS CÆSAR, quò lecti, probatique Senatores, & religioſius, & minore moleſtia ſenatorio munere fungerentur, ſanxit: ut priùs quam conſideret quiſquam, thure, ac mero ſupplicaret apud aram ejus Dei, in cujus templo coiretur. *Suet.*

LOCI. UBI.

☞ *Vide, Templa ſuperſtitioſè culta.*

FINIS. CUR. CAUSA.

AGRORUM.

Romani veteres ruris deos maximè noverant, Sejamque à ferendo, Segeſtam à ſegetibus appellabant, quarum ſimulacra in Circo videbantur. *Plin.lib.18.*

Romani agrorum munus uni alicui Deo committere noluere: ſed rura, Deæ Ruſinę: juga montium, Deo Jugatino: collibus, deam Collatinam: vallibus Valloniam præfecerunt: Nec ſaltem potuerunt unam Segetiam talem invenire, cui ſemel ſegetes commendarent: ſed ſata frumenta quàm diù ſub terra eſſent, præpoſitam voluerunt habere deam Sejam: cùm verò jam ſuper terram eſſent, & ſegetem facerent, deam Segetiam: frumentis verò collectis, atque reconditis, ut tutò ſervarentur, deam Tutilinam præpoſuerunt: cui non ſufficere videretur illa Segetia, quamdiù ſeges ab initiis herbidis uſque ad ariſtas aridas perveniret. Non tamen ſatis fuit hominibus deorum multitudinem amantibus, ut anima miſera dæmoniorum turbæ proſtitueretur, unius Dei veri caſtum dedignata complexum. Præfecerunt ergo Proſerpinam frumentis germinantibus: geniculis, nodiſque culmorum Deum Nedotum: involumentis folliculorum deam Volutinam: cùm folliculi pateſcunt, ut ſpica exeat, deam Patelenam, cùm ſegetes novis ariſtis æquantur, quia veteres æquare hoſtire dixerunt, deam Hoſtilinam: florentinus frumentis deam Floram lacteſcentibus deam Lacturtiam: matureſcentibus deam Maturam: cùm truncantur, id eſt, à terra auferunt, deam Runcinam. *Auguſt.lib.5. de Civ.Dei, c.8.*

DOMUS.

Unum quiſque domi ſuæ ponit oſtiarium, & quia homo eſt, omnino ſufficit. At tres deos Romani poſuerunt. Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini. *Auguſt.lib.4.de Civitate Dei, c 8.*

Pro equis Hipponæ votum fit: paſtores Pani deo pro pecoribus. *Alex.lib.3.c.22.*

Apud divæ Rumiæ ſacellum à Paſtoribus ſata ficus, ubi ſolebant ſacrificari lacte pro vino, & pro lactentibus: mammæ enim rumis, ſive rumæ (ut antè dicebant) à rumis: & inde dicuntur ſubrumi agni: lactentes, à lacte. Lacte autem de ramo fici coagulatur lac in caſeum. *Varro lib.2.cap.11.*

MULIEBRIUM.

JANUS, cùm puerperium concipitur, aditum aperit recipiendo ſemini, Saturnus ſemen retinet, Liber marem effuſo ſemine liberat. Libera quam & Venerem volunt, idem beneficium conferret feminæ, ut etiam ipſa emiſſo ſemine liberetur. Dea Mena menſtruis fluoribus præeſt, quamvis Jovis filia, tamen ignobilis, ipſa ſcilicet Luna, quæ Græcè μήν dicitur, ad cujus rationem menſtrua vel moventur, vel quieſcunt: ut *Ariſt. in lib.de Anima* ſcribit: quæ etiam eſt Jovis, & Latonæ filia: Junonem Fluonam mulieres colebant, quòd eam ſanguinis fluorem in conceptu retinere dicerent. *Feſtus.* Vitumnus vitam, Sentinus ſenſus puerperio largiuntur. *D. Auguſt.lib.7.de Civitate Dei, cap.2.*

VARRO mulieri fętæ poſt partum tres deos cuſtodes commemorat adhiberi, ne Sylvanus deus per noctem ingrediatur, & vexet, eorumque cuſtodum ſignificandorum cauſa tres homines noctu circumire limina domus, & primò limen ſecuri ferire, poſteà pilo, tertio deverrere ſcopis: ut his datis culturæ ſignis, deus Sylvanus prohibeatur intrare: quia neque arbores cæduntur, ac putantur ſine ferro: neque far conficitur ſine pilo: neq; fruges coacervantur ſine ſcopis. Ab his autem tribus rebus tres nuncupatos deos: Intercidonam à ſecuris interciſione, Pilumnum à Pilo, Deverram à ſcopis; quibus diis cuſtodibus contra vim dei Sylvani fœta conſervarentur. *D. Aug.lib.6. de Civ.Dei, cap.9.*

PEREGRINATIONIS.

Peregrinantes vota faciebant HERCULI. Sylvano quoque in ſingula boum capita, adoreo, lardo & vini ſextario, ſubtaxata menſura, votum fit. *Alex.lib.3.c.22.*

FURTI.

Fures Lavernæ olim vota feciſſe, ut fallerent, ex Horatio conſtat, ubi votum tacitum improborum explicat:

Pulchra Laverna
Da mihi fallere, da juſtum, ſanctumque videri,
Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubem.

MORBORUM, ET CUPIDITATUM ABIGENDARUM.

Romani malæ Fortunæ, Febri, templa, & aras erexerunt, item Pallori, & Timori, quaſi diis: ne quid obeſſent, neve aliquid incommodi adferrent, quos cane, & ove placarunt. *Alex.Ab Alex.lib.1.c.13.*

BESTIARUM ABIGENDARUM.

Oetæi HERCULEM Conopium, ne provinciam infeſtam culicibus redderet, venerati ſunt. Nam culices Oetæi conopas vocant. Apollo item culiciarius in Attica colebatur, quòd infeſtos culices ex agris propulſaret: & Ipoctonus Jupiter apud Erythæos, & Eythibius Apollo apud Rhodios habentur maximi. Erytbibam enim Rhodii rubiginem dicunt. Bœotii quoque Apollini Pornopioni ſacra facere dicuntur, ne muribus provinciam redderet obnoxiam Apud eos enim mus, pornopios nuncupatur, *Alex.l.1.c.13.& 15.ex Euſtathio.*

Alipheræ, in urbe Arcadiæ Deo cuidam MYRIAGRO rem divinam faciunt, proque hoſtiis heroem precari, & Myjagri nomine implorato, ſecuritatem ſibi fore inter immolandum ab omni muſcarum protervitate pro certo habent. *Pauſanias in Arcadicis.*

In Troade APOLINEM colunt Smiathium: quia τοὺς σμίνθους, hoc eſt, mures abegerit. *Euſtathius Iliados α.*

SUPERSTITIONE IN VOLUNTATE DIVINA EXPLORANDA PER ORACULA, Auguria, Signa quælibet divina.

☞ *Ex Tit. Divinationis ſpecies, pleraque exempla huc poterunt transferri, reſpectu Praxeos: quæ illic cauſa Theoriæ recenſuimus.*

LYCURGUS Lacedæmoniorum legiſlator, non anteà multitudini leges exhibuit, quàm cùm præſtantiſſimis viris Delphos petens Deum rogaſſet, an eſſet futurum conducibilius, & melius Spartæ, ut legibus, quas ipſe tuliſſet, obediret. Cùm autem reſpondiſſet Deus, id prorſus melius fore, tum demum leges ſuas eis propoſuit: non modo iniquum, verùm & impium ſtatuens, ſi quis legibus Pythio roboratis oraculo minus paruiſſet. *Xenophon in Lacon. Rub. & Stobæus Serm.42. Plut. in ejus vita, Strabo l.16. Diod.Sicul.lib.3. Dion.Halicar.l.2. Juſtinus lib.3. Val.Max.lib.2.c.3.*

In magnis calamitatibus ſolebant Romani conſulere vates, & oracula, per quos deos poſſent liberari à malis, vel præſentibus, vel imminentibus: & cùm vates reſpondiſſent de peregrinis diis advehendis, ſedulò id curabant. Sic ad HANNIBALEM vincendum, & Romanum imperium amplianđum, magna Mater deum ex Phrygio Peſſinunte accita, & Romam tranſlata eſt, & magnifico templo honorata. Et ad peſtem abigendam Æſculapius, qui erat magna coluber, Epidauro Romam eſt adductus, & templo, & ſacrificiis cultus. *Arnob.lib.7.contra. Gentes.*

Iidem inſtructo exercitu deos primò omnium conſulebant mox auſpicato, & litato, ne incertis auſpiciis, & turbatis religionibus acies committerent, Solem venerabantur. *Alex. ab Alex.l.4.c.7.* Apud eoſdem ſponſa nequaquam ad ſponſum ducebatur, niſi priùs religionis ſtudiis intenta, in Futini dei gremio aliquamdiù ſediſſet, & proſperum nuptiarum eventum efflagitaſſet. *Alex.ab.Alex l.1.c.24.*

NUMÆ POMPILIO cùm inſignia regni deferrentur, ſuſtinere juſſit, velle ſe deos de regno conſulere. Ita unà cum auguribus, & ſacerdotibus in Capitolium aſcendit. Tarpejum collem appellabant tunc Romani: ibi princeps augurum eum capite velato ad meridiem convertit, atque à tergo aſſiſtens dextra in capite Numæ impoſita, precatus eſt, & in omnem partem circumlatis oculis, ſi qua auſpicia, vel oſtenta dii darent, obſervavit. Mirum intereà tantæ multitudinis in foro ſtantis ſilentium erat, expectantis & in eventum ſuſpenſæ, quouſque ſecundæ, & fauſtæ aves conſpectæ rem comprobaverunt. Tum Numa veſte regia indutus ex arce ad populum deſcendit, exceptuſque eſt, ut vir religioſiſſimus ſanctiſſimus plauſu, & complexu. *Plut. in Numa.*

ROMULUS, & REMUS, gemini ex Rhea Sylvia, per Martis (ut creditur) ſtuprum nati, cùm civitatem Romam condidiſſent, noluerunt alio modo, quàm per auguria urbi nomen imponere. Sed poſteaquam in auguratione Remo ſex, Romulo verò duodecim vultures apparuiſſent: Romulus augurio victor, urbi nomen dedit. *Liu.lib.1.Dec.1.*

Romana civitas, quæ arx fuit, & caput humanarum gentium, ſoricis occentum tam religioſè obſervavit, ut auditus dictaturam, & magiſterium equitum ſummis viris ademerit. Q. certè FABIO MAXIMO. dictaturam, & C. Flaminio magiſterium equirum occentus ſoricis deponendi cauſam dedit. *Plut. & Val. Max.lib.1.c.1.*

Q. FAB. MAX. Dictator, bello ſecundo Punico contra Hannibalem, patribus auctor fuit, ut decemviri Sibyllinos libros inſpicere juberentur. Quorum monitu ipſe Erycinæ Veneri ædem volvit, Attilius prætor Menti. Sunt & Marti ſua vota nuncupata, & ver ſacrum Jovi votum, ſi reſp. in quinquennium eo, quo fuerat, manſiſſet ſtatu, ut quicquid ver unum ex Ovillo, ſuillo, & Caprino tuliſſet grege, id Jovi ſacrum eſſet. Supplicatio ad hæc, & Lectiſternium indictum. *Sab.lib.1.En.5.*

P. SCIPIO Africanus non priùs ad publica negotia ire ſolitus erat, niſi priùs in cella Jovis ſediſſet, mentemque divinam accepiſſet. Unde & Jovis filius appellatus fuit, *Liu.l.6. Dec.3. Plut. in ejus vita. Val. Max.l.1.c.3. Plin. de Viris illuſtr.c.49. Gel.l.7. c.1. Sab.l.4.En.5. Sylvius Ital.lib.13. & Appianus de bellis ciu.* Sic quoque Neptunum ſibi apparuiſſe dicebat, & Carthaginem capi poſſe, auctore deo aſſerebat. *Polyd.lib.10.*

Dimicaturus acie L. PAULUS ÆMILIUS adverſus Perſen Macedoniæ regem, cùm prima luce Herculi ſacrificare cœpiſſet, nec litaret: religione perfuſus viginti hoſtias, una poſt alia, mactavit:

mactavit : nec priùs ab incepto deſtitit, quàm in prima poſt A viceſimam certa victoriæ argumenta extiterunt. *Sab.lib.4.c.2. & plut. in ejus vita.*

AURELIANUS Imp. cùm adversùs Marcomannos pugnandum eſſet, Mediolanum uſque, & Placentiam veniens, ad ſenatum reſcripſit, ut inſpectis Sibyllinis libris, quæ neceſſaria eſſent ſacra ad impetrandam deorum opem conficerent. *Fulg.l.1.c.1.*

PETRUS KESLERUS Baſilienſis, cùm ſatius eſſe putaret nubere, quàm uri, ne accurato delectu plus voluptatis carnis, quàm divinæ providentiæ tribuiſſe videretur, ita ſecum conſtituit, quamprimùm pauperem manè nubilem habiturus eſſet obviàm, eam ſe volentem in uxorem ducturum. In D. Petri cœmeterio ſtipem petentem offendit juvenculam, liberali facie, nec malis, ut videbatur moribus præditam. Conditionem offert. Acceptantem domum deducit, Nuptias celebrat. Ea prioris oblita ſortis, uſque adeò bonum alioqui virum, ſed in hac parte nimis, quam ſuperſtitioſum, inhumaniter tractavit, ut ſæpè per jocum diceret: Nullam ſibi unquam nec majorem, nec pejus collocatam eleemoſinam fuiſſe.

OBEDIRE DIIS.

B

SUPERSTITIOSE'.

THESEUS ad Minervam, monentem ſe ne dimittat Argivos ſupplices, niſi priùs juramento promiſerit, pro beneficio exhibito, nunquam ſe bellum illaturos Athenis, *Apud Aurip. in Supplicibus ſic ait ;*

Δέσποιν' Ἀθάνα, πείσο μαι λόγοισι σοῖς
(σὺ γάρ μ' ἀ ορθοῖς, ὥστε μὴ ξαμαρ τάνειν)
καὶ τόν δ' ἐν ὅρκοις ζεύξομαι μόνον σύ με
εἰς ὀρθὸν ἵστη σοῦ γὰρ εὐμενοῦς πόλει
οὔσης, τολοιπὸν ἀσφαλῶς οἰκήσομεν.

O domina Minerva, parebo dictis (tu enim me ſuſcitas, ut non peccem) & hunc per fœdera conjungam : tantùm tu me in rectum conſtitue. Te enim propitia civitati exiſtente in poſterum ſecurè habitabimus.

ORESTES de Apolline, qui juſſerat interficere matrem, *Apud Eurip. in Electra* inquit.

Λοξίου γὰρ ἐμπέδοι.
χρησμοὶ βροτῶν δὲ μαντικὴν χαίρειν ἐῶ.

APOLLINIS rata ſunt oracula, hominum autem divinationem valere ſino.

ERECHTHEUS Athenienſium rex, cùm bellum adversùs Eumolpum ſuſcepiſſet, reſponſum accepit, ſeſe victorem futu- C rum, ſi filiam diis immolaret. Qua re uxori Praxitheæ communicata, puellam cæcidit. Cujus rei *Eurip. in Erechtheo, & Plut. cap.40. Paral.* meminit.

Cùm apud Haliartes Bœotos ſumma eſſet ſiccitas, unus è primoribus Delphos miſſus, accepit oraculum, aquam ſeſe inventurum, ſi primùm Haliartum ſibi obviàm factum redeunti interemiſſet. In patriam reverſo, filius impuber Lophis primus occurrit Pater ſtricto gladio puerum tranſuerberat. Ille adhuc ſpirans, cùm huc illuc curſitaret, ubicunque humi fuſus eſſet cruor, inde aquæ eruperunt. Ex eo fluvius Lophis dictus. *Pauſ. in Bœoticis.*

Samis Dexicreontis Venerem nominant, aut quòd eorum conjuges ex luxu, & petulantia laſcivientes Dexicreon præſtigiator certa luſtratione liberaverit libidine : aut quòd Dexicreon, qui nauclerus erat in Cyprum ad mercatum navigaverit: & oneraturo navem præceperit Venus, ut aquam, prætereà nihil imponeret, & vela faceret quàm ocyſſime. Qui obtemperans ei, magna vi aquæ impoſita ſolvit. Mox ſereno cœlo, & D ſopito mari laborantibus ſiti aliis, mercatoribus, & naucleris aquam vendidit, ex qua multum argenti collegit. Ex eo factum Veneris ſignum nomine ſuo appellavit. Quod ſi verum eſt, apparet, non unum Venerem ditare, ſed multos per unum voluiſſe ſervare. *Plut. in quæſt. Græcis.*

VALESIUS SABINUS homo, ut illo tempore erant optimi quique, ruſticus, ægrotantibus tribus liberis, ac propemodum moribundis, inter vota, & comprecationes vocem audivit, filios fore ſalvos, ſi eos per pronum Tiberim Terentum portaſſet, ibique ex Ditis patris, & Proſerpinæ petita aqua calida, quam illi deſideraſſent, recreaſſet. Valeſius de Tarento urbe ratus oraculum intelligendum, tametſi procul ea urbs aberat, nec ullus erat ad Tarentum Tiberis : tamen nave conducta, & in ea impoſitis pueris, ſecundo flumine Oſtiam contendit : ad campum Martium prope Romam cùm pueros in ſiccum exponeret, ut tædium navigationis levaret, velletque ignem accendere, conſuluit gubernatorem, unde ignis peti poſſet. Ille è proximo Terento reſpondit : nam paſtoritium ignem videbas ibi lucere : locus ille Terentus dicebatur, quòd E Tiberis amnium more ripam mollem tereret : vel quòd ara Ditis eo loco ſub terra occuleretur. Valeſius nomine audito, lætus illuc navem appelli jubet, exiſtimans de illo loco ſe eſſe divina voce admonitum : ac interim dum ipſe in urbem ad aram emendam curriculo properat, juſſit ſervos altè foderè, ubi collocaretur. Viginti pedes altum fodere, & aram veterem ibi invenerunt, cum inſcriptione. Diti, & Proſerpinæ : eam Romani olim condiderant poſt peractum diis inferis ſacrum, cùm pugnaturi cum Albanis in acie jamiam concurſuri ſtarent, juſſi à dæmone id facere, priùs quàm manum conſererent. Rediit ex urbe pater, & ad inventam aram furvas hoſtias Diti, & Proſerpinæ ſacrificavit : & tres noctes, tot enim erant filii ægroti, diis ibi facto lectiſternio, exegit, cum cantibus, & choreis, liberis jam morbo liberatis. Eundem morem in urbem induxit unus ex poſteris Valeſii illius P. Valer, Poplicola, primo libertatis anno, è majoribus ſuis acceptum, & ludis Secularibus initium dedit. *Livius. Valerius, Florus.*

Apud Romanos ſacris imperia ſerviebant : exiſtimabant enim ſummam felicitatem ſequuturam, ſi deos ſibi propitios facerent. *Val. Max. l.1. de Cultu deorum.*

F GENITIO CIPPO prætori paludato portam egredienti novi, & inauditi generis prodigium incidit. Namque in capite ejus ſubitò veluti cornua emerſerunt. Reſponſumque eſt, eum regem fore, ſi in urbem revertiſſet. Quod ne accideret, voluntarium, ac perpetuum ſibimet indixit exilium. Dignam pietatem, quæ quod ad ſolidam gloriam attinet, ſeptem regibus præferatur; cujus teſtandæ rei gratia, capitis effigies ærea portæ, qua exceſſerat, incluſa eſt, dictaque Rauduſculana, quòd olim Rauda ara dicebatur. *Val. Max. lib.5. c.6.*

METELLUS, Pœnis, ac Siculis ſocia arma adversùs Romanos parantibus, omnibus diis, excepta duntaxat Veſta, ſacrificium fecit. Quæ cùm adverſos claſſi ventos immiſiſſet, C. Julius vates eos ceſſaturos dixit, ſi anteà filiam immolaſſet. Ille urgentibus rebus, filiam Metellam immolaturus adduxit. Dea verò adoleſcentulam miſerata, buculam ſuppoſuit : puellamque ad Lamuſium deferens, ſacerdotem ejus, qui in eo loco colitur, draconis fecit. *Pythocles lib.3. Rerum Ital. apud Plut. cap.29. Parall.*

MEDULLINA Arunlii Hydropotæ filia, & ab eo pet vim ſtuprata, jubente oraculo, coronatum patrem ad fulguris aram duxit, ibique fuſis lacrymis mactavit. Pluris enim juſſa deorum, quàm debitum parentibus honorem fecit. *Ex Ariſtide Mileſio l.3. rerum Ital. Plut. c.39. Parall.* G

CYANE Cyanippi Syracuſani filia, cùm peſtilentia urbem invaſiſſet, & oraculo reſponſum eſſet, profligari peſtem, ſi Cyanippus, qui inceſtum cum filia commiſerat, diis immolaretur : tractum capillis patrem, Diis liberatoribus mactavit, ſeque ſuper eum necandam injecit. *Ex Doſitheo lib.3. rerum Cicularum, Plut. c.38. Parall.*

C. MARIUS CIMBRICO bello profligatus, ſomnio præmonitus eſt ſe victoriam reportaturum, ſi priùs victimam filiam Calphurniam faceret. Eo igitur facto, victoriam reportavit. *Ex Doſitheo lib.4. rerum Ital. Plut. c.41.*

Poſt obitum MATHIÆ regis quietem aliquandiù Hungaria à Turcis habuit : donec Bajazethes II. motu terræ commotus (qui Conſtantinopoli octingentas domos proſtraverat, ac homines plus minùs ter mille vel obruerat, vel fulmine aduſſerat) rurſus arma in Hungaros reſumere cœpit, eam calamitatem Mahometi furori attribuens, quòd nimis diù adversùs Chriſtianos ceſſaſſet. *Dubravius lib.31.* H

CONFIDENTIA

SUPERSTITIOSA.

☞ *Ex Tit. ſeq. Precum ſuperſtitioſarum ſylva Exemplorum.*

Theſeus Adraſtum domi manere jubebet, ſolùm ſe cum populo ſuffecturum contra Thebanos affirmans, in bona cauſa, deorum auxilio, *apud Euripidem in Supplicibus.*

ὧν δεῖ μόνον μοι τοὺς θεοὺς ἔχειν, ὅσοι
δίκην σέβονται ταῦτα γὰρ ζυνόνθ' ὁμοῦ,
νίκην δίδωσιν, ἡ ἀρετὴ δ' οὐδὲν φέροι
βροτοῖσιν, εἰ μὴ τὸν θεὸν χρήζοντ' ἔχει.

Unum opus mihi ſolùm deos habere, quicunque juſtitiam colunt. Hæc enim, cum præſtò ſunt ſimul, victoriam dant. Nam fortitudo nihil prodeſt hominibus, niſi Deum opitulantem habuerint.

GALLIS mutuam invicem pecuniam dare, quam apud inferos poſt obitum redderent, in uſu erat. *Alex. ab Alex. l.2. c.7.*

VOTA,

VOTA, PRECES, SUPPLICATIONES

A

SUPERSTITIOSÆ.

OB QUID. UT OB

MALORUM QUORUMVIS Amolitionem.

L. ÆMILIO PAULO, & C. Bebio conſulibus poſt multa viſa prodigia, ex Sibyllinis ſupplicatum eſt, cùm ſex menſibus non pluiſſet, *Julius Obſequens cap.4.*

L. SCIPIONE, & C. Lælio conſulibus, cùm multa prodigia Romæ viſa eſſent, quæ aliquid mali (ut ſolent) portendebant, ſupplicatio per decem pueros patrimos, matrimos, totidemque virgines habita eſt. *Val. Max. de prodigiis.*

LIBIDINEM REFRENANDAM.

Apud Romanos cùm Mulieres multæ in flagitium libidinis irruerent penè furentes : ex libris Sibyllinis ſimulacrum Veneris Verticordiæ, in Veneris Erycinæ templo extra portas eſt B conſecratum : quò faciliùs virginum, mulierumque corda à libidine ad pudicitiam verterentur. *Val. lib.8. Ovid. & 4. Faſt.*

VITÆ CONSERVATIONEM.

AUGUSTUS CÆSAR, Cantabrico bello, cum noctu lectica veheretur, ad ſubitum caſum fulminis, quo unus ex comitibus exanimatus eſt, tonanti Jovi ædem vovit. *Sab. lib. 5. cap.4. ex Suet. & Dione.*

MORBUM DEPELLENDUM.

Ægyptii pro pueris morbo affectis vota concipiebant, ut ſi deus voto adeſſet, defectum capillum diis dedicarent. *Diod. lib.2. cap.2.*

P. VAL. POPLICOLA, qui ejectis ex urbe Tarquiniis primus Roman. conſul fuit, in crudeliſſima urbis peſte, nuncupatis votis, cæſiſque atris bobus, Diti, Proſerpinæque ſacra, & ludos fecit. *Val. Max. lib.2. c. de Inſt. antiq.*

TITUS VESPASIANUS, cùm peſte urbs graviter laboraret, nullumque humanæ opis remedium juvaret, omnibus Romanis ſacris operatus malum amoliri conatus eſt. *Suet.*

Horat. lib.2. ſerm. ſatyra 4. ſuperſtitionem Muliercularum irrideret, hiſce verbis:

Jupiter, ingentes qui das, adimiſque dolores,
C *Mater ait pueri, menſes jam quinque cubantis,*
Frigida ſi puerum quartana reliquerit, illo
Manè die, quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi ſtabit. Caſus, medicuſve levarit
Ægrum ex præcipiti, mater delira necabit
In gelida fixum ripa, febrimque reducet.
Quone malo mentem concuſſa: timore deorum.

FOECUNDITATEM.

Eleorum feminæ orbatam ab HERCULE virili robore patriam miſeratæ, Palladi votum nuncuparunt, ſi gravidæ ad primos virorum congreſſus fierent. *Pauſ. lib.5.*

DILUVIUM IMMINENS.

CANNACAS quiſpiam Phrygum rex, quemadmodum narrat *Hermogenes in Phrygiis*, cùm prævidiſſet eventurum diluvium, convocatis omnibus ad templa deorum, multis lacrymis ſupplicabat diis, ut id malum averterent. Unde Herodes jambographus inquit: ἵνα τὰ κατὰ Νάννακον κλαύσω, id eſt, ut Cannacæ more plorem. Zenodotus Stephanus in dictione Iconium, ait, Annacum quendam vixiſſe ſuper annos trecentos. Itaque D undique conſulta oracula, Quo uſque victurus eſſet? Reſponſum autem, Mortuo Annaco peritura univerſa, quo defuncto, ſucceſſiſſe diluvium Deucalionis. Cæterùm audito reſponſo, magnoperè luxiſſe Phryges, atque hinc de gravi luctu ortum proverbium, ἐπὶ Ἀννακοῦ κλαύσειν. *Eraſ. in Adag.*

SICCITATEM DEPELLENDAM.

Sacra Arcadum pro ſiccitate abigenda, ☞ *pete ex Tit. Fontes mirabiles.*

ANNONAM.

Romanos *Ovidius in Faſtis* tribus anni temporibus fructuum gratia, totidem ſacrificia dicit feciſſe, Vinalia, Rubigalia, Floralia, prima cauſa vini, altera frugum, deo, qui Robigus dicebatur ſacra ſeptimo Cal. Maii, quoniam tunc ferè ſegetes rubigo occupat, ut ait *Plin.* tertia cunctorum fructuum, quibus dea Flora præerat.

VENTOS.

XERXE contra Græcos claſſem ducente, in ora Magneſiæ terræ feruntur Athenienſes Boream invocaſſe ex oraculo, quod eis redditum eſt, ut generum ſuum ad ſibi opitulandum invocarent. Habuit enim Boreas in matrimonio Orithyjam Atticam Erechthei Athenienſium regis filiam. Itaque dum in E Chalcide pro Europa excubarent, invocavere Boream, & Orithyjam, ut ſibi auxilio eſſent, & Barbarorum naves corrumperent, quemadmodum prius fecerant circa Athon. Borea igitur id præſtante, digreſſi illinc, delubrum ei extruxere ad amnem Iliſſum. In eo autem naufragio, qui pauciſſimas naves, ii non pauciores quadringentis ex Xerxis claſſe periiſſe ajunt viros quoque innumerabiles, ac vim pecuniarum immenſam, præter naves onerarias, & lembos. *Herod. lib.7.*

Refert *Nicolaus Venetus in Indica hiſtoria*, Nauclerum Indum, cùm ceſſaſſent venti, invocato, ut ipſe appellabat, deo MUTTHIAN, tandem in Arabum quendam illum deſcendiſſe, correptumque hominem exclamaſſe, per navimque currentem ad tabulam, quæ hac de cauſa malo appoſita erat, acceſſiſſe: Carbones quoque, qui ibi aderant, devoraſſe, & galli ſanguinem petiiſſe : quem protinus jugulato gallo exſuxit. Inde rogaſſe, quidnam peterent? Reſpondente nauclero, Ventos. Et qua ex parte? Ex occidente. Illis intra triduum daturum ſe pollicitus eſt. Admonuit quoque eos, ut in occaſionem parati eſſent. Soluta conjuratione, Arabs nullius eorum, quæ F prædixerat, vel paſſus fuiſſet, memor erat. Tempore tamen conſtituto omnia ex ſententia ſucceſſerunt. *Card. de Subtil. lib. de Dæm.*

TEMPESTATEM SEDANDAM.

Argonautas tradunt ex Sigæo digreſſos fœda tempeſtate jactatos, cæteriſque in manifeſto diſcrimine deſperantibus, Orpheum voto Samothracibus diis nuncupato, remedium adversùs ſævientem procellam demonſtraſſe. Cùm Minyæ medio periculo tenerentur, duplex lumen Caſtoris, & Pollucis capitibus effulſiſſe ferunt : nec ita multò pòſt pelagus ſævire deſiiſſe : & ob eam rem credita juvenum divinitate, ſubitos ejuſmodi ignes in mari Caſtores appellatos. Geminæ ſunt velut fulgurum effigies, quæ aliàs nocturnis militum vigiliis in pilorum cuſpidibus ſedere, aliàs per antennas, cæteraſque navium partes ſedem ex ſede mutantes, vocali quodam ſono vagari ſolitæ. Graves, cùm ſolitariæ venere, mergenteſque navigia : geminæ, & tunc quidem, & ſemper aliàs ſalutares, proſperique curſus nunciæ, ſuoque adventu diram il- G lam, & minacem, quam eodem argumento Helenam dixere, quæ mergit navigia, & ſi in ima deciderit, etiam exurit, fugare creduntur. Res miraculi loco accepta, fecit, ut Caſtor, & Pollux religiosè à nautis colerentur, portuque ſoluturi Samothracibus diis, pro ſolventium ſalute, ſacra facerent. *Sab. l.5. Enn.1. ex Plin. lib.2. cap.37.*

HOSTEM AVERTENDUM.

Romæ magna trepidatio fuit, adventu HASDRUBALIS ex Hiſpania in Italiam nunciato; creatis Conſulibus Cl. Nerone, & M. Livio, magna fuerunt ſacrificia præter ſolitum facta. Per novem dies ducebantur ab æde Apollinis boves binæ albę, quas ſequebantur duo ſigna cupreſſea. Deinde virgines viginti ſeptem, longa indutæ veſte, carmen Junoni Reginæ cantabant. Virginum ordines ſequebantur omnes prætextati, omnis Senatus, & à porta per Ingarium vicum in forum venere. In foro omnis pompa conſtitit : per manus rectè datas virgines ſonum vocis pulſu pedum modulantes interceſſerunt. Inde vico Tuſco in ædem Junonis perventum eſt, & his duabus hoſtiis deos Romani placatos crediderunt. Decreverant enim H his peractis Conſules obviàm ire Haſdrubali ab Alpibus deſcenſuro, ne ejus adventu Ciſalpinam Galliam, & Tuſciam rerum novarum avidam turbaret. *Jo. Gerund. lib.5. Paralip. Hiſpaniæ.*

Obſeſſa ab ALARICO Gotho Roma, Romani omni humana deplorata ope ad vetera deorum auxilia, à quibus ſæpè ſe conſervatos ferebant, imploranda ſe converterunt. Auxit verò eorum fiduciam Pompejanus urbis præfectus, qui ſe Tuſcos quoſdam audiviſſe dixit, aſſerentes, ſe nuper Narniam ſacrificiis factis è maximis periculis exemiſſe, atque hoſtes longè à mœnibus propuliſſe. Cæterùm ſenatum in Capitolio ſacrificiis incumbentem populus averſatus eſt, ſacrilegium illud veriùs, quàm ſacrum arbitratus. Itaque ſe ad permulcendum Alaricum donis contulerunt. *Sig.*

FUGAM SISTENDAM.

ROMULUS Sabino bello, quod circa Capitolium, Palatiumque geſtum eſt, cùm turpem ſuorum fugam, quodam prælio ſiſtere non poſſet, Statori Jovi ædem voto nuncupavit, ſi fugienti-

bus

busſuis metum ademiſſet, ſiſteretque Romanum adversùs A hoſtem qui à tergo victor inſtabat. Vix bene preces effuderat, atque illicò factus eſt voti compos: reſtituta enim acie, non tantùm æquata eſt pugna, ſed ad Curtium uſque locum Sabinus, qui victoria exultabat, eſt cum cæde, & ſtrage repulſus. *Sab. lib.2. cap.5. ex Plut. Romulo.*

VICTORIAM.

JEPHTE GALAADITES, contra Ammonitas pugnaturus, votum in hæc verba nuncupavit: Si tu mihi, Deus, victoriam in Ammonitas dederis, quod mihi extra fores domus meæ, incolumni ab Ammonitis redeunti, obviàm prodierit, id Domini erit, idque immolabo. Prælio deinde ſuperior factus, cùm Maſpham domum rediret, obviàm ei procedit unica filia virgo cum tympanis, & choris. Jephthe territus, & mœſtus, filiæ votum ſuum indicat. Illa patrem, ut votum præſtet, hortatur: petit tamen concedi ſibi duos menſes, quibus ſuam virginitatem cum ſuis æqualibus in montibus deplorare queat: Eo tempore exacto, à patre immolata fuit. Ea deinde res in conſuetudinem abiit, ut quotannis Iſraeliticæ puellæ lamentarentur Jephtæ Galaaditæ filiam quatuor dies. *Judi-* B *cum c.11.*

AJACEM, Homerus ait, quando cum HECTORE erat ex provocatione pugnaturus, ut vota facerent præcepiſſe Græcis pro ipſo diis, hinc vota nuncupantibus illis arma induiſſe. Jam Agamemnon, poſtquam conflicturis imperavit:

Haſtam quiſque acuat, clypeumque accommodet aptè.

tunc Jovem precatus eſt:

Annue tu Priami mihi tecta excindere celſa.

Siquidem virtutis deus ſpes eſt, non velamentum ignaviæ. *Plut. de Superſtit.*

Græci ad Salaminum prælium contra Perſas navale facturi erant. Et ſimul oriente Sole, extitit terræ, mariſque motus, Viſum eſt igitur ÆACIDAS auxilium invocare. Proinde omnibus, illic è Salamine ſunt, diis vota fecerunt, & Ajacem Telamonis filium invocaverunt: navemque ad Æacum, & ad alios Æacidas invocandos Æginam miſerunt. *Herod. lib.8.*

PYRRHUS Epirotarum rex Erycem munitiſſimum oppidum, quod magnum habebat Carthaginenſium præſidium, ſtatuit oppugnare. Stante in procinctu exercitu, arma toto corpore induit, progreſſuſque Herculi ludos, & victimas victoriæ cauſa vovit, ſi Græcis Siciliam incolentibus dignum ſe genere, & C fortunis ſuis præſtitiſſet bellatorem. Signo tuba dato, barbaros telis dejecit, & admotis ſcalis in muros evaſit primus. Dum ibi pugnat cum multis, partim ex muro inde depulit, & deturbavit, pleriſque gladio interfectis, cadavera circa ſe accumulavit. Nihil interim fuit ipſe læſus, ſed hoſtibus terribilis aſpectu viſus eſt *Plut. in Pyrrho.*

DION Syracuſanus à Platone impulſus, ut Syracuſanos liberaret: facto Apollini ſacrificio contra Dionyſium bellum movit, quem Speuſippi auxilio in arcem confugere coegit, cepit, captumque in exilium miſit. *Plut. in Dione.*

Apud Romanos, ſi quod juſtum bellum in exteras nationes indictum, aut ſi pro aris, fociſque, & deorum templis, ac ſolo patrio pugnandum eſſet, ut ea res populo Romano ſociiſque, ac nomini Latino benè, & feliciter eveniret, utque bonis auſpiciis, ac diis benè juvantibus arma ſumerent, ſupplicationes inſtitutæ ſunt. *Alex. ab Alex. l.5. c.26. Plut. in vita Metelli.*

VERRIUS FLACCUS auctores ponit quibus credat, in oppugnationibus antè omnia ſolitum à Romanis ſacerdotibus evocari deum: cujus in tutela id oppidum eſſe: promittique illi eundem, aut ampliorem locum apud Romanos, cultumve. D Durat in pontificum diſciplina id ſacrum: conſtatque ideò occultatum, in cujus dei tutela Roma eſſet, ne qui hoſtium ſimili modo agerent. *Plin. lib.28. c.2.*

TULLUS HOSTILIUS, cùm ad Tyberis, & Anienis confluentem in Fidenates, & Vejentes aciem direxiſſet, cognita Albanorum ad hoſtes defectione, duodecim Salios Marti vovit: extititque confeſtim victor exercitus, qui pro victo jure habebatur, jam ſpe, & viribus impar hoſtibus factus. *Liv. l.1. Dec.1. Plin. cap.4. de Viris illuſt.*

Cùm Cimbris pugnaturis Rom. lautas manus C. MARIUS ad cœlum tollens, diis vovit immolaturum centum boves, Vovit, & Luctatius Catulus, tenſis item manibus Fortunæ ejus diei ædem. Marium etiam ſacrificantem ajunt, cum exta ei porrecta eſſent, exclamaſſe: Mea eſt victoria. *Plut. in Mario.*

ROMULUS, cùm videret Acronem Cecinenſium regem propter raptas virgines Sabinas Romanum agrum occupaſſe, votis nuncupatis, ſi hoſtem fuderit, fugaritque, ſe ejus arma ferentem Jovi daturum: ubi in certamen collatis ſignis deſcendit, regem victor obtruncat, exercitumque in fugam vertit, Quoque votum Jovi, & civibus ſpectatu redderet jucundum, trophæa erexit, & Jovi opima ſpolia obtulit. *Liv. lib.1. Dec.* B *1. Plut. in vita Romuli.*

BALBANUS, & PUPIENUS, Rom. Impp. cùm bellum adversùs Maximinorum ſævitiam iis decretum eſſet, ut victoria potirentur, Hecatomben diis voverunt.

AURELIANUS Imp. adversùs Marcomannos, cùm Mediolanum uſque ad Placentiam veniſſent, movens, ad Senatum ſcripſit: ut inſpectis Sibyllinis libris, quæ neceſſaria eſſent ſacra ad impetrandam deorum opem conficerent. Quæ cùm Senatus egiſſet, ac divino nutu magis, quàm humanis viribus, atque conſiliis, barbari ultrà progredi gravibus oſtentis territi non auderent, Aureliano ad victoriam via patuit. Is autem, ne parum gratè cœlo demiſſam agnoſcere opem videretur, præter munera hujus victoriæ gratia per urbem Romam multis templis data, ſoli Capitolino Jovi quindecim millia auri pondo, & magnam gemmarum vim pluribus collationibus dedit. *Fulg. lib.1. cap.1.*

Unus ducum Mœſorum, qui per MARCUM CRASSUM victi ſunt, antè aciem poſtulato ſilentio. Qui vos, inquit, eſtis? Reſponſum invicem Romani rerum domini. Et illi: Ita (in- F quiunt) fiet, ſi nos viceritis: & ſtatim ante aciem immolato equo concepere vota, cæſorum ducum extis & litarent, & veſcerentur. *Avent. lib.1. Annal. Bojor.*

BRANA ALEXIO, duce perfido, Iſaacium Angelum Imp. Conſtantinopoli obſidente, ut illum Imperio exueret: Imperator, monachis in palatium congregatis, Deo ſupplicabat, ut civile bellum propulſaret, nec alteri traderet Imperium: rem verò bellicam penitus negligebat, omni ſpe ſua in armis ſpiritus collocata. Erat tum temporis in urbe Conradus Cæſar Montisferrati marchio. Is Imperatoris collaudata pietate, dum ne in ſuperſtitionem abiret, monuit, ne in mendis omnem fiduciam collocaret, ſed rei militaris etiam rationem haberet, & armatis phalangibus ſeditioſo occurreret, nec dextris duntaxat armis religioſorum, ſed ſiniſtris etiam militum, hoſtes ulciſcerentur. Quibus Conradi verbis ſocordia excuſſa, auxilia contraxit, Branamque aggreſſus, illuſtrem victoriam reportavit. *Nicetas lib.1.*

PACEM.

NUMA POMPILIUS ſub Romani Imperii auſpicia, ut popu- G lum ad pacem, & tranquillitatem perduceret, divinum auxilium imploravit ſacrificiis plurimis, ludis, & tripudiis. *Plut. in ejus vita.*

REIPUB. INCOLUMITATEM.

M. FURIUS CAMILLUS Dictator, Vejorum urbe expugnata, militibuſque ingentem egerentibus prædam, contemplans ex arce cuncta, primùm illacrymavit. Deinde cùm celebraretur à circumſtantibus felicitas ejus, manus ad cœlum tollens precatus eſt: Jupiter Opt. Max. diique rectè, ac malè factorum arbitri, haud vos latet non injuſtè nos, ſed neceſſitate compulſos, ab infeſtorum, & nefariorum hoſtium civitate perſequi pœnas. Si qua tamen nos manet viciſſim hujus invidia proſperitatis, oro, ut eam luere ego pro urbe, exercituque Romano, quam minimo meo privato incommodo valeam. Simul atque ita fatus eſt, ut in more eſt Romanis, à precibus, & veneratione deorum ſeſe convertere dextrorſum, dum circumagit ſe, prolabitur. Perculſis illis, qui aderant, cum humo erexiſſet ſe: Ab immenſa felicitate, inquit, levi ex voto defunctus H ſum caſu. *Plut. in Camillo.*

Vota pro Imperii æternitate, nonnunquam pro ſalute civium verbis ſolemnibus apud Rom. concipi ſolebant. In quo id ſervatum eſt, ut niſi tertio die poſt Kalendas Januarias, pro ſalute principis votum concipiatur, utque ſolenne jusjurandum nuncupationibus votorum præſtetur. Etiam pro itu, & reditu, proque incolumitate principis, jacere ſtipem ad lacum Curtii, aut ludorum celebritas, apud Romanos votum fuiſſe compertum eſt. Quotieſque pro principis incolumitate concipiebatur votum, Tiberio imperante, id ſervatum eſt, ut in votorum nuncupatione, Neronem, Druſumque diis commendaret. *Alex. lib.3. cap.22.*

QUI. PUTA
DUCES.

Apud Rom. Coſſ. deſignati ipſo die iniri magiſtratus, in bellum profecturi, concionem ad populum habere, Capitolium adire, ibique ſacrificio perfecto, vota effundere ſolebant: tunc ſuſcepto emiſſoque voto, cum ſe numinibus obligarent, Rei voti

voti appellati: cùm autem compotes promiſſa exolviſſent, A Damnati voti dicti ſunt. *Alex. lib.3. cap.22.*

In votis obſervatum legimus, à Rom. ut ſimul, ac conſuli, aut imperatori, cui belli ſumma commiſſa erat de eventu belli incerta ſpe fluctuanti, votum vovere collibitum eſſet, ſi id inconſulto ſenatu, aut citrà populi auctoritatem faceret, de manubiis, vel hoſtium ſpoliis, aut ſi non ſufficerent, ſua impenſa exolvere teneretur. Vovebantur enim ſæpiùs templa, ædeſve deorum: ludique diis, aut ſtatuæ, veſtes, coronæ, nonnunquam mulſi pocillum. In quo fuit ſervatum, ut velato capite, & veſte caput opertus imperator, prætor, aut conſul, votum effundat, illudque conceptis verbis ſuſcipiat. *Alex. lib.3. cap.22.*

MERETRICES.

Lege ſancitum fuit antiquitus apud Corinthios, ut quando civitas magnis de rebus Veneri ſupplicat, quàm plurimæ meretrices ad ſupplicationem ſumantur, deæque poſteà ipſius nuncupentur: quæ ſacrificiis deinde interſunt. Tunc etiam meretrices pro Græcorum omnium ſalute ſupplicarunt in Veneris templo, cùm Xerxes exercitum in Græciam trajecit, ut narrat *Theopompus, & Timæus l.7.* Simonides cùm tabellam B Corinthiæ deæ dedicaſſet, ſingulas meretrices appoſuit:

Hæ ſtatuere ſuper Grajorum orare ſalute
Felicem Venerem, & pro laboribus patriæ.
Non etenim arcis voluit Venus aurea Perſis
Arcem Grajorum prodere, quam populent.

Privati etiam deæ vota perſolvunt, ac rebus peractis, pro quibus orarunt, ei meretrices adducturos ſe pollicentur. Corinthius Xenophon ad certamen exiens in Olympia, ipſo quoque ſe ſcorta deæ adducturum promiſit, ſi victor evaſiſſet: ac Pindarus primum in illum encomium conſcripſit. *Athen. lib.13. cap.11.*

GRAVIDÆ.

Romanis prævaluit uſus, ut quæ uterum ferunt, antequam edatur partus, Poſtuertæ, & Proſæ, quibus duæ aræ dicatæ erant, ne partus perverſi fierent, neve fœtus præ poſterè exiret, immolarent: Egeriæque nymphæ, & Fluoniæ Junoni ſacra facerent, quia putabant illarum ope conceptum egerere, & fluorem ſanguinis cohibere. *Alex. lib..... cap.25.*

QUOMODO.

C RESTIPULATIO. POLLICITATIO
DIIS FACTA.

Frequens apud veteres votum fuit, ut decima prædæ, & ſpoliorum, quicquid ex hoſtibus captum fuiſſet, Jovi, & diis devoverent: quare Jupiter Prædator nuncupatus: ſicut Camillus, captis Veiis, votum voviſſe dicitur. Id enim ſolvebatur, ut prædæ parte divendita, donum diis, & numinibus dicarent. Qui mos Gallorum fuit, ut belli jure quæſita, plerumque verò partem Marti devoverent: in quo id erat conſtitutum, ut divina ope implorata, is plus ſpei ferret, & propitios faciliùs haberet deos, qui majorem prædæ partem diis devoviſſet. Qua tempeſtate Crotoniatæ adversùs Locrenſes graves, teſtataſque inimicitias habebant, bello dimicaturi, cùm decimam prædæ Apollini voviſſent, Locrenſes, ut voto vincerent, nonam devovere: & cùm Galli, Ariſtonico duce, contra Romanos militarent, deque hoſtium præda aureum torquem Marti promiſiſſent: Flaminius, ut voto vinceret, de torquibus Gallorum Marti trophæum poſuit. Aratus verò Sicyonius cum DC. hominum capita, ne ab adverſariis voto vinceretur, ſe deo immolaturum voviſſet, non compos, exolvere votum Theſſalicis Deis recuſavit. *Alex. lib.3. cap.22.*

D Pontificum decreto cavebatur apud Rom. ut ſi ab exercitus duce, diis manibus quiſpiam devotus, & conſecratus foret, neque is in acie cecidiſſet, ut Diti ſatisfiat, ſignum ſeptempedes altum in terram defodi oportere, ubique ſignum effoſſum fuiſſet, illic hoſtiam immolari non licere. Et tametſi res deo devotas nemo ſibi aſciſcere queat, hominem tamen deo devotum, aut diis conſecratum occidere permittunt impunè, eamque cædem capitali noxæ non haberi, tanquam illius anima non ad nos, ſed ad deos pertineat. *Ex Macrobio Alex. l.3. c.22.*

Ex incerta pecunia, & quæ non extaret, votum concipi poterat, & ſi ſemel votum emiſſum foret, illud denuò irritum facere non licebat. Quòd ſi incerta pecunia fuiſſet, pro qua voto conciperetur, eaque bello uſui non eſſet, illam reponi, nec cum alia miſceri oportebat: quod niſi factum eſſet, votum non ritè emiſſum, nec religione voventem exolvi putarunt. *Alex. l.3. c.22.*

Si Ver ſacrum in magnis Reip. Romanæ caſibus vovendum foret, niſi ex auctoritate collegii pontificum fieret, non votum ſed inconſulta pollicitatio cenſebatur. In hoc enim voto, quicquid ex ſuibus, ovibus, & agnis, inter Calendas Martias, & E Idus Majas, apud quemque natum, editumve fuiſſet, voto contineri dixerunt: pueros quoque, & puellas, qui inter hæc tempora editi fuiſſent, haud dubiè voto comprehendi: ſed quia immolare eos turpe ducerent, hoc piaculari ſacro expiarunt, ut adultos velarent, velatoſque extra fines exigerent, qui Vernæ dicti ſunt: quo piaculo liberi religione putabantur. *Alex. l.3. c.22.*

Q. FAB. MAX. Dictator, bello ſecundo Punico contra Hannibalem patribus auctor fuit, ut decemviri Sibillynos libros inſpicere juberentur. Quorum monitu ipſe Erycinæ Veneri ædem vovit, Attilius prætor Menti ſunt, & Marti ſua vota nuncupata, & ver ſacrum Jovi votum, ſi reſpub. in quinquennium eo, quo fuerat, manſiſſet ſtatu, ut quicquid ver unum ex Ovillo, Suillo, & Caprino tuliſſet grege, id Jovi ſacrum eſſet: Supplicatio ad hæc, & Lectiſternium indictum, *Sabel. l.1. Enn.5.*

INSTRUMENTA.

Athenienſes, cùm in aureis, & argenteis vaſis diis propinaſſent, & pæana ceciniſſent, tunc demum ſanctiſſimis cæremoniis F cœlum ſuſpicientes, vota nuncupabant. *Alex. lib.3. c.22.*

Ramus ex ſacra olea, alba lana coronatus, in emiſſione votorum adhibebatur apud Græcos. Parthorum reges, & magi, nyctegretum, quæ nyctilopa dicitur, herbam coloris hyſginei, ut ſpinæ folia, adhibebant, magnis ſæpè laudibus celebratam: qua non adhibita, nullum votum ritè concipi arbitrati ſunt: & cùm deos evocabant, marmaritidem herbam, quæ in deſertis petris, & ſaxis præruptiſſimis naſcitur, admiſcebant, Idem.

PRONUNTIATIO.

Quæ dictator, conſul, aut prætor apud Rom. vota ſuſcipiebat, non aliter niſi verbis conceptis, præeunte pontifice maximo, ne quid præpoſterè dicatur, concipi poterant. *Alex. l.3. c.22.*

GESTUS.

☞ *De precantium moribus Alex. lib.4. cap.17.*
Vide infrà, Pompæ ſacræ.

ANCHISES, ut poetica fides his adiiciatur, oſtento commotus, quod circa Aſcanium fieri contigit, nocte illa, qua Ilium eſt à Græcis exciſum, Jovem precaturus, manus, & ocu- G los ad cœlum extulit. *Sab. lib.2. cap.4.*

ÆNEAS hujus filius, in templo Delii Apollinis cum his, qui ederant in terram procubuit. Cæterùm in Creta noctu apud deos penates patrium morem imitatus, ſupinas manus, & oculorum aciem in cœlum ablegavit, deos rogaturus. *Alex. l.3. c.22.*

Nec DIDO uno oraſſe modo traditur: quippè, quæ hoſpitalem Jovem propitiatura, vinum leviter libavit: mox alibi aram tenens manibus, orationem peregit. *Ibidem.*

Veteris fuit ſuperſtitionis, quod in ASCLEPIO Mercurius ſcribit, Deum adorantes, ſi medius affulſerit dies, debere in auſtrum converti: ſi verò dies ſit occiduus, in occaſum: ſi ſe tunc primum promat ſol, exortiva eſſe ſpectanda. Quidam ex Græcis ita produnt: Si heroibus rem obirent divinam, occaſum ſolitos ſpectare; ſi diis, exortivas partes, quod in Iſthmiis ſignificare animadvertitur, Pindarus. *Cælius lib.12. cap.2. Antiq. lect.*

Cùm vidiſſet DIOGENES CYNICUS Feminam diis procumbentem, ita curvato corpore, ut à tergo quædam apparerent, quæ nudari non decet oculis hominum, adiit illam dicens: Non vereris, mulier, ne ſtante poſt tergum tuum deo (nam illius plena ſunt omnia) parum decenter te geras? Idem Æſcu- H lapio percuſſorem conſecraſſe dicitur, qui accurrens procidentes in faciem contereret, hoc figmento deterrens homines à ſuperſtitione, qui credunt deos non audituros, niſi ipſis indecoro corporis geſtu ſupplicent. *Laert. lib.6.*

Apud Veteres ſola oratio litare non poterat, niſi & is, qui deos precabatur, manibus aram apprehenderet. Inde *Varro rerum divinar. lib.5.* dicit, Aras primùm anſas dictas, quòd eſſet neceſſarium à ſacrificantibus eas teneri. Ergo commutatione literarum Aræ dici cœptæ, ſicuti olim Valeſii, & Fuſii, tunc Valerii, & Furii. Hinc *Vir. Æneid. 4.*

Talibus orantem dictis, araſque tenentem,
Audiit omnipotens

Et multis aliis in locis, ut *Macrob. lib.2. Saturn. c.x.* teſtatur.

NUMÆ præceptum eſt, προσκυνῶν περιφερόμενος, id eſt, adorandum circumactu corporis nimirum ad imitationem cœli, perpetua vertigine circumacti. Cœlum autem, deum antiquitas credidit. *Plut. in Numa* addit & alias interpretationes: videlicet cùm ſacra ſpectent exortum ſolis, qui adorat vertens

vertens ſe circumacto corpore ad orientem, videtur ſemet ad deum convertere, factoque circulo per utramque mundi partem vota facere. Subiicit & tertiam, quam videtur maximè probare. Corporis vertigine ſignificari rotas Ægyptias ſentit opinor de hieroglyphicis, quibus illi ſignificabant, nihil in rebus humanis eſſe ſtabile, aut perpetuum: ſed utcunque viſum fuerit Deo, vitam noſtram vertere, ac volvere, æquum eſſe, ut boni conſulamus. An potiùs alludit ad Seſoſtrim, qui cùm reges ante currum ageret, quidam ex iis rotarum converſionem intuens, fortunæ inconſtantiam regi præfiguravit. De qua re *Cedrenus*.

Alterum Ejuſdem eſt, Καθῆσθαι προσκυνήσαντας, id eſt, Adoraturi ſedeant. Significat vota certa concidere oportere, & in his, quæ ſunt optima, perſeverare, προσκυνήσαντες legunt alii, qui adoraverunt, uti ſeſſio ipſa ſit velut augurium, vota rata firmaque fore. Quidam arbitrantur alium ſubeſſe ſenſum, quod oporteat eos, qui ſacris operantur, non obiter, ac velut aliud agentes hoc facere, ſed vacuos, ac totos rei divinæ intentos. Nam, Plutarcho teſte, quoties pontifex auguria ſeu ſacra aggrediebatur, præcones clamabant: Hoc age. Ea vox hortabatur, ut qui ſacra adirent, reverenter, & attentè id facerent. Idem in Problematibus rerum priſcarum refert, quid diis vota feciſſent, in templis manere, & quietem agere ſolitos, quod actiones hujus vitæ frequenter involvant hominem moleſtiis. *Eraſmus in Adagiis*.

Cùm diis Manibus, & Diti concipitur votum, quæ Devotio potiùs dicta eſt, ovibus tribus atris, Telluri, Jovique ſacrum fit: in quorum precatione qui rem divinam facit, cùm Tellurem invocat, manibus terram tangit: cùm verò Jovem ſublatis in cœlum manibus precationem peragit. Cùm autem votum effunditur, manus pectori admovere præcipitur; aliter votum non ritè concipi, ſed pollui ſacra inexpiabili religione putarunt. *Alex. lib.3. cap.22.*

Qui Opi deæ, quæ Terra dicta eſt, votum concipiunt, ſedentes votum effundere, inque concipiendo terram tangere debent. *Alex. lib.3. cap.22.*

Veniam à deis ſpei alicujus audacioris petimus, in ſinum ſpuendo etiam, inquit *Plin. lib.28. cap.4.*

HABITUS.

Cùm diis immortalibus honores dabant Veteres, capite operto, & velato, ſacra facere, & numina adire mos erat: ut deorum honores longè diſpares ab his, qui dantur hominibus, magnamque in eo vim divinitatis oſtenderent, cùm ſemoto viſu à rerum conſpectu, religiosè, & venerabundi divina peragerent. Ideò in ſacris velare caput, & veſte operiri, antiqui moris fuit. *Alex. lib.2. cap.19.*

ROMANI in ſummis ſupplicationibus, nudo pectore, & dejecta toga ex humeris, genu nixi, nonnunquam humi prorſus dejecti, preces fundere ſolebant. *Alex. ab Alex. lib.2. cap.19.* Accidit ſæpiùs, ut Romanis rebus bello acciſis, cum novus terror ab hoſtibus impenderet, Romanæ mulieres pacem malorum petituræ, ſolutis crinibus templorum pavimenta verrerent. *Sab. lib.2. cap.4.*

MACEDONUM mos erat, ſi quid ſuppliciter à diis, vel hominibus expoſcerent, ſeminudos, & interiori tantùm amictos tunica, obteſtari. *Alex. ab Alex. lib.2. cap.19.*

POMPA.

Fiebant ſupplicationes Romæ cum ſolemni precatione urbe tota, circa omnia delubra phanaque, & pulvinaria, in quibus honos diis dabatur: ſenatoreſque patritii cum conjugibus, & liberis, plerunque coronati, nonnunquam omnes tribus, & ordines, præeunte Pontifice maximo, aliquando duumviris, præcedentibus pueris ingenuis, & libertinis, ac virginibus patrimis, & matrimis coronatis, vel lauream tenentibus manu, voce modulata pronunciantibus carmen, prælata pompa, ſupplicare, & pacem deorum expoſcere ſolebant. *Ibidem.*

LOCUS. UBI.

PERSÆ cùm nec deorum aras haberent, nec templa erigerent (erant enim ædium ſacrarum, & ſimulacrorum everſores) in loco mundo, & excelſo cum precatione diis victimas immolabant. *Alex. ab Alex. lib.4. cap.17.*

ACCIDENTIA. PRECES ASSIDUÆ.

TURCÆ preces ſuas peragentes tanta utuntur diligentia, ut interim nihil vel laboris, vel alterius rei ſuſcipiant. *Chalcocondylas lib.3.* Alcoranus quinquies in die præcipit orandum, horis, & temporibus aſſignatis certis. Prima eorum oratio patria lingua Dangnanias vocata, per quatuor Ercket, & duo Czalamat perficitur. Eſt autem Ercket geminata inclinatio, cum totidem proſtrationibus. Czalamat verò eſt ipſa ſecreta oratio, quam ſedendo perficit poſt quodlibet Ercket, cum ſalutatione à dextris, & ſiniſtris, & impreſſione pacis, quam utraque manu in faciem obducendo facit. Fit hæc oratio in ortu Solis manè, nullo habito reſpectu artificialis horologii. Secunda oratio, quæ circiter meridiem fit, Orientalis dicta, continet decem Ercket, & quinque Czalamat. Tertia oratio Kindinanias lingua gentili nuncupata, in declinatione Solis veſpertino tempore fit, complexa Octo Ercket, & quatuor Czalamat, Quarta oratio Achſamnanias vocata, quinque Ercket, & tria Czalamat in ſe tenens, circa Occaſum Solis fieri conſuevit. Ultima, & quinta cæteris prolixior (nam quindecim Ercket, octo Czalamat complectitur) poſt cœnam tardiori ſolet fieri hora dicta Jaczinonias. Has orationes unuſquiſque cum patochiano ſuo in proprio templo tenetur orare, niſi occurrente impedimento legitimo, ob quod in alio loco hæc explentur: quandoquidem licèt etiam neglectas ſupplere, ſi non debitum tempus fuerit ſervatum. *Cuſpin.*

EXAUDITÆ.

CRŒSUS Lydorum rex, à Cyro victus, & rogo, ut crematetur, impoſitus, cùm Solonem ter alta voce inclamaſſet, & Cyrus cauſam intellexiſſet: pyram extingui juſſit. Verùm cùm ignis jam prævaluiſſet, Crœſus Apollinem invocavit, ut ſi unquam ab eo donum illi gratum fuiſſet oblatum, ipſum præſenti malo liberaret. Repentè igitur nubes è ſereno, & tranquillo aere coacta copioſiſſimam aquam effudit, rogumque extinxit. *Herod. lib.1.*

In Vulcani colle juxta Agrigentum, viridia ligna, quæ aræ ſuperimponebantur, ſi preces juſtæ erant, ſponte ignem concipiebant. Quòd ſi iniquæ, nullum concipiendi ignis ſignum edebant. *Fulg. lib.1. cap.6.*

Olympiæ ſacro certamine, nubes muſcarum immolato tauro ei deo, quem Myjodem vocant, extra territorium avolat. *Plin. lib.29. cap.6.*

Irruentibus in Græcos Perſis, PAUSANIAS ſacrificans imperavit Lacedæmoniis, ut poſitis ante pedes clypeis conſiderent quieti, ſibique attenderent, neque ulli hoſtium repugnarent. Parent Spartiatæ, quamvis jam aliquot ex ipſis vulnerati conciderant. At Pauſanias alias ex aliis hoſtias vate cædente, atque lachrymis oppletus, convertit ſe ad fanum Junonis, manuſque ad cœlum tendens precatus Citheroniam Junonem, cæteroſque deos, qui Plataicam terram incolunt: ſi in fatis non foret, ut potirentur Græci victoria, ſaltem, ut re alia patrata memorabili caderent: & ubi hoſtibus re oſtendiſſent, viris fortibus eos, & bellicoſis arma intuliſſe. Ita Pauſania deos obteſtante, unà cum precibus apparuerunt læta exta, & victoriam aruſpices nunciaverunt: datoque ſigno, omnes cum hoſtibus manus conſeruerunt. *Plut. in Ariſtide.*

Darii Perſarum regis preces deus exaudivit, aquam cœlitus poſtulantis: cùm adversùs Saccas expeditionem ſuſcipiens, à Riſace equiſone in vaſtas ſolitudines per aliquot dies deductus fuiſſet, illicque multi militum fame, & ſiti mortui eſſent. *Plin. lib.7. & Juſtin. ex Trogo.*

Claſſis XERXIS ad Chalcidem vento Borea graviſſimè integro triduo afflicta fuit. Quarto tandem die Magi inciſiones faciendo, & veneficiis incantando ventum, ad hæc Theti, ac Nereidibus ſacrificando, tempeſtatem compeſcuerunt, ſive aliter tempeſtas ipſa ſua ſponte ceſſavit. Theti autem ideò Magi ſacrificavere, quod ab Jonibus acceperant, Thetim ex eo loco captam fuiſſe à Peleo, omnemque eam oram Sepiadem illius eſſe, alienarumque Nereidem. *Herod. lib.7.*

M. *Tullius Tuſ. quæſt. lib.1.* tradit, TROPHONIUM, & AGAMEDEM exædificato templo Apollini Delphico, venerantes deum laboris ſui mercedem petiiſſe, nihil quidem certi, ſed quod eſſet optimum homini: quibus Apollo ſe id daturum oſtendit poſt diem ab illo tertium; qui ut illuxit, mortui ſunt reperti.

Cum Siculi ingenti laborarent ſterilitate, Palicorum reſponſo admoniti, heroi cuidam ſacrificium celebrarunt, & ubertas rediit. Qua gratia Siculi omne genus frugum congeſſerunt in aram Palicorum. Hanc ob cauſam à *Virg. Æn.9.* vocatur pinguis ara Palici. *Macrob. lib.5. Satur. cap.19.*

NUMÆ POMPILII (ſucceſſit is Romulo ex Curibus Sabinis in regnum accerſitus) quàm efficax precatio, aut quàm audax, quæ è cœlo Jovem elicuit, vel certè elici poſſe arbitrata eſt? Res (quod ſatis conſtat) non ſolùm credita, ſed ab aliis etiam tentata; Tullus Hoſtilius, qui poſt illum regno potitus eſt, quia parum ſcitè id ſacrum obiiſſet, cum tota domo fulminis eſt igne concrematus. *Sab. lib.2. cap.5.*

Deciorum uterque patriæ victoriam devotione ſua peperit. Pater ſiquidem ad Veſerim Campaniæ, Latinum hoſtem jam victoriæ imminentem vincendum mirabiliter præbuit ſuis: Filius in Sentinati Gallum, & Samnitem, Ethruſcis additis, occidione occidendum collegæ Fabio reliquit. Cæterùm, aut nihil, aut perquàm parum patris, filiique ad victoriam contuliſſe videri poterit, ni Pontificum ſolemnes precationes adjectæ eſſent: ſecundùm quos formido, & fuga eſt hoſtibus injecta, Romano victoria parta. *Idem.*

Claudiæ Veſtalis liberior vita cùm calumniam incurriſſet: ut eam hominum animis opinionem magno aliquo teſtimonio eximeret, facinus adorta eſt, plus admirationis, quàm fieri ad poſteros habiturum: navem, qua Deorum mater vehebatur, Tiberino vado hærentem, Veſtam priùs ſuppliciter precata, cingulo alligat: mox eam remolita eſt, traxitque adverſo flumine, quod pars Rom. civitatis poſt multos, & varios conatus nequiverat. *Idem.*

Tuccia Veſtalis, juſſa dicere cauſam, crimenque diluere, quod ab accuſatore intendebatur: Veſtam precata eſt, ut ſi caſtè, ſanctèque ejus ſacris ad id tempus operam dediſſet, propoſitum teneret. Hoc tantùm precata eſt: ſimulque ad ripam fluminis progreſſa, multis comitantibus, ut rei eventum cognoſcerent, cribrum fluviali aqua plenum ad Pontificum conſpectum (quorum ea cognitio erat) detulit. Adiiciunt hinc miraculo, accuſatorem attentè requiſitum, nuſquam apparuiſſe ampliùs. *Idem.*

ADRIANUS IMP. Lucio Commodo in ſpem imperii adoptato, Severianum, & Fuſcum nepotem ejus, quòd illud ægrè ferre viderentur, ſuſpectos, inviſos, juſſit occidi: quorum alter nonagenarius, alter verò decem, & octo annos natus erat. Sed Severianus priuſquam jugularetur, ignem popoſcit: atque incenſo thure: Vos, inquit, ò Dei, teſtor, me nihil mali commiſiſſe: de Adriano hoc tantùm imprecor, ut cùm mori cupiet, non poſſit. Et hic quidem mortuus eſt. Adrianus poſt morbum ſæpiùs fruſtrà invocata morte, ſæpè etiam ſeipſum occidere voluit. Extat ejus epiſtola, quæ hoc ipſum ſignificat. Scribit enim: Quàm miſerum eſt, mortem optare, & mori non poſſe. *Dion. Caſſ. in vita Adriani.*

NON EXAUDITÆ.

HERCULES cùm poſt egregia ſua facinora in numerum Deorum relatus eſſet, vix dici poteſt, quot ſacrificiorum genera ei inſtituerint. Literis tamen proditum eſt, ab Ignavis vota Herculi, & preces effuſas non exaudiri: quòd ſoli ſtrenuo, & pervigili proſperos ſucceſſus faceret, & propitius foret. *Alex. ab Alex. lib.2. cap.14.*

GRATITUDO ERGA DEOS SUPERSTITIOSA.

PROPTER QUID.

OB SAPIENTIAM.

PYTHAGORAS SAMIUS, cùm longa contemplatione inveniſſet in rectangulis triangulis quadratum, quod à latere rectum angulum ſubtendente fit, æquum eſſe quadratis, quæ fiunt ex lateribus angulum rectum continentibus (quod theorema 47. eſt in lib. 1. Euclidis) βουθυτῆσαι fecit hoc eſt, bovem immolavit: alii hecatomben. *Proculus libro in Euclidem 4. Plutarchus Quæſt. conviv. volum.8. ſegmento 2. & Vitruvius lib. 9. cap.2. Laertius, & Cic. in 3. de Nat. Deorum.* Id verò Cotta non credit, quoniam Pythagoras ne Apollini quidem Delio hoſtiam immolare voluerit, ne aram ſanguine conſpergeret. *Cælius lib.19. cap.7. A. L.*

PRUDENTIAM.

Carnæ Deæ, quæ viſceribus humanis præeſſe, & vitam fovere credebatur, ſacrum à Bruto inſtitutum poſteri ſervaverunt, ut pulte fabacea, & lardo, abſque victima ſacrificetur. Hic enim, cùm excors putaretur, latentem animum, diù reconditum, ſuo tempore detexit. *Alex. lib.2. cap.22.*

INDICIUM MALI.

Fuit apud Argivos PALLADIS ſacellum ὀξυδερκοῦς, à Diomede ſtructum, quòd ei apud Ilium bellanti tenebras, caliginemque ab oculis deterſiſſet. *Cæl. l.14. c. ult. Antiq. Lect.* Mothonæ idem Minervæ Anemotidi templum dedicavit, cùm intempeſtivis tota regio ventis graviter laboraret, *Pauſ. in Meſſen.*

FURIUS CAMILLUS, quando flammam Gallicam extinxit, urbemque, auro, quæ rependebatur, ex lance, & libra detraxit non prudentiæ, neque fortitudinis, ſed Aii Locutii templum erexit in via nova: ubi ante bellum M. Ceditio ferunt iter facienti vocem auditam: quæ nunciabat, brevi bellum Gallicum expectarent. *Plut. de Rom. fortuna.*

LONGÆVITATEM.

AMESTRIS XERXIS uxor, ut gratiam Diis referret, quòd diù vixiſſet, quatuordecim Perſarum liberos ſub terram vivos defodiſſe, & votum Diis perſolviſſe dicitur: tanquam his votis, & diris imprecationibus Dii immortales, & cœleſtia numina placarentur. *Alex. ab Alex. lib.3. cap.22. ex Herod.*

VITÆ CONSERVATIONEM in quovis periculo.

SESOSTRIS, ſive Seſoſis, Ægyptiorum Rex, cùm ex incendio graviſſimo dormiens liberatus eſſet præter opinionem, tum cæteris Diis, tum Vulcano, ut liberatori votum perſolvit. *Diodorus.*

THESEUS incolumis è Creta rediens, Apollini vota reddidit die ſeptima menſis Pyanepſionis, quo ſoſpites urbem iniere. Ac legumina memoratur elixari, quòd incolumes cibariorum reliquias in unum confuderint, unàque coctas communi olla, epulati ſimul inter ſe manducaverint. Tunc quoque Ereſionem ferebant. Oleæ ramus eſt lana obvolutus, quemadmodum tunc erant ſupplicia variis fructuum primitiis diſtinctus, quia deſierat tunc ſterilitas. *Plut. in Theſeo.*

Idem cùm è Creta, interfecto Aſterione Minois filio, rediiſſet, Trœzene in foro Dianæ Soſpitæ templum erexit. *Pauſanias in Corinth.*

LYCURGO legiſlatori Lacedæmoniorum Alexander petulans juvenis, cui leges ab eo latæ non placebant, oculum excuſſit. Lycurgus ad Alpium vicum confugit. Ubi Lacedæmoniorum concurſu ſervatus, quò minùs & alterum perderet oculum, Minervæ Ophthalmitidi ædem extruxit. *Pauſanias in Laconicis.*

HELPIS Samius, viſo in Africa leone, Dionyſio hianti ſervatus à leone templum ædificavit. *Plin. lib.8. cap.18.*

THEMISTOCLES, cùm in ſomnis admonitus inſidias evaſiſſet, Mageſiæ templum Dindymenæ condidit. *Plutarchus in Themiſtocle.*

Romæ Victoris HERCULIS ædes duæ fuerunt: una ad portam trigeminam, altera in foro boario. Hujus cognominis cauſam *Maſurius Albinus Memorabil. lib.1.* ſic exponit: M. Octavius Herennius prima adoleſcentia tibicen, poſtquam arti ſuæ diffiſus eſt, inſtituit mercaturam: & bene re geſta decimam Herculi ſacravit. Poſteà cùm navigans hoc idem ageret, à prædonibus circumventus, fortiſſimè pugnavit, & victor receſſit. Hunc in ſomniis Hercules docuit ſua opera ſervatum. Cui Octavius impetrato à magiſtratibus loco, ædem ſacravit, & ſignum: Victoremque inciſis literis appellavit. *Macrob. lib.3. cap.6. Saturnal.*

SANITATEM, OB MORBUM DEPULSUM.

In via, quæ è Sparta Therapnen ducit, templum eſt Cotylei Æſculapii, quod Hercules dedicavit, Deoque id cognominis indidit à vulnere ſanatus, quòd in pugna priore contra Hippocontem, ejuſque liberos in cotylem, id eſt, coxendicem acceperat. *Pauſan. in Lacon.*

ARCHIAS Ariſtæchmi F. à convulſione membrorum ſanatus, qua inter venandum apud Pindalum fuerat correptus, Æſculapii religionem Epidauro Pergamum traduxit. Acceptam à Pergamenis deinde Smyrnæi templo conſecrarunt. *Pauſanias in Corinth.*

ÆGIPTII Diis vota pro pueris faciunt, qui morbum evaſerint: radenteſque capillos, ac in auro, argentove ponentes, dant munus magis. *Diod. Sicul. lib.2. cap.2.*

PHALYSIUS Æſculapio ob reſtitutionem viſus templum ædificavit. *Pauſ. in Phocicis.*

ARISTOTELES ægrotante Nicanore, pro incolumitate amici ſtatuas lapideas ſe Jovi Servatori unam, alteram Junoni Soſpitæ dicaturum vovit: at morte præventus teſtamento abſolvendas reliquit. *Alex. lib.3. cap.22. ex Laertio.*

P. VAL. POPLICOLA, cùm tres filios morbo laborantes ex voto recepiſſet incolumes: voti reus, ludos ſeculares inſtituit primus, & celebravit magna pompa. *Alex. lib.3. cap.22.*

PE-

PESTILENTIAM SEDATAM.

A Tanagræi MERCURIO Criophoro templum erexerunt, ſedata peſtilentia. *Pauſ. in Bœoticis.*

Apud Arcades in Cotyrio monte Apollini EPICURIO templum pulcherrimum dedicatum eſt: apud Athenienſes Apollini Alexicaco, quaſi averruncum dicas, quòd peſtilentiæ morbum avertit. *Pauſ. in Arcad.*

In foro Sicyoniorum PYTHUS Suadelæ ædes eſt. Suadelam verò, hac de cauſa colere inſtituerunt. Apollo, & Diana, Pythone cæſo, ut ſe expiarent, veniſſe Ægialen tradunt, ſed incuſſo terrore eo ipſo in vico, qui nunc Phobus dicitur, in Cretam ad Carmanorem divertiſſe, ac ſtatim peſtilentem morbum Ægialenſibus immiſſum, quem depelli non poſſe vates monuerunt, ni Apollo, & Diana placarentur. Miſſos itaque pueros ſeptem, ac totidem virgines ad Sythan amnem ſupplicum ornatu, quorum precatione perſuaſos Deos in arcem veniſſe. Eo itaque in loco, quò primùm venere, Suadelæ ædem dicatam. Idem verò ritus hoc etiam tempore ſervatur. Pueri enim feſto Apollinis die ad Sythan veniunt, ac Deorum ſigna in ædem Suadelæ deportant, deinde in templo Apollinis ea reponunt. B *Pauſ. in Corinth.*

P. VAL. POPLICOLA, cùm civitatem à peſte liberaſſet, nuncupatis votis, cæſiſque atris bobus Diti, & Proſerpinæ, ſacra, ludoſque inſtituit. *Val. Max. lib. 2. cap.* 1.

VALERIUS, cùm in crudeliſſima Romanorum peſte duos filios, unamque filiam epidemia labe laborantes, Ditis, & Proſerpinæ auxilio ab omni periculo liberaſſet: ſtatim divinum agnoſcens beneficium, hoſtias nigras, quæ antiquitùs Furvæ dicebantur, immolavit: ludoſque, & lectiſternia tribus continuis noctibus fecit. *Val. Max. lib. 2. cap.* 1.

FOECUNDITATEM.

Eſt apud Eleos PALLADOS ſacellum μητρός cognomento: quoniam quandoque deficientem juvenum turba, deam comprecatæ mulieres ſint, ſimul ac cum viris congreſſæ forent, conciperent. Voti compotes, regionum inſuper vocabulo gentis patrio, βαδὺ nuncuparunt, ac fluivum βαδὺ aquam. *Ex Pauſ. Cæl. lib. 14. cap. ult. A. L.*

DIGNITATEM ADEPTAM.

C DARIUS Hyſtaſpis F. adhuc privatus, Deo voverat, ſi regnum adipiſceretur, vaſa omnia è Babylone Hieroſolymam remiſſurum, quæcunque Nabuchodonoſor abſtulerat. Id quod & præſtitit. 2. *Eſd. 5. & 6. & Joſeph. lib. 11. cap.* 4.

Servius Tullius, ſextus Romanorum Rex, ex ſerva captiva natus; cum magno, & ſingulari fortunæ beneficio ad regiam dignitatem provectus eſſet, diverſa fortunæ templa in diverſis quoque urbis partibus dedicavit. Parvæ Fortunæ ædem, Fortis fortunæ, Primigeniæ, Maſculæ, Blandæ Averruncanæ, Converſæ, Bene ſperantis, Brevis, Virginis, Viſcatæ, quòd procul ab ea capiamur, & adhæreſcamus negotiis, Proſperæ, & Virilis. Fortunæ Sejæ ædem à Servio Tullio anteà erectam ex phengite lapide, mirifico opere Nero Princeps inſtauravit, ita ut foribus apertis veluti diurna lux videretur, in quo Servii Tullii ſimulachrum tecto vultu, toga ſuper injecta, diù manſiſſe dicitur, quaſi ut lateret fortunæ dedecus, quòd à ſerva natus imperaret. *Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13. ex Plut. quæſt. Rom.*

STUPRI SUCCESSUM.

In Laconia è regione Gyrheo, Cranæ inſula eſt, in qua ALE- D XANDRUM, rapta Helena, cum ea primùm congreſſum Homerus dixit. Quare in continentis terræ adverſo litore Veneris eſt Migonitidis ædes, hoc eſt, Conjugalis: ac regio illa tota Migonium vocatur. Templum quidem Alexandrum tradunt faciendum curaſſe: at Menelaus octavo fermè poſt Trojæ everſionem anno, domum incolumis reverſus, proximè ad Migonitidis, ſignum Thetidis, & Deæ Praxidicæ, quaſi Vindicatrix dicas, dedicavit. *Pauſ. in Lacon.*

VICTORIAM.

Auctor AGATHIUS eſt Gothici belli libro ſecundo ingruente Perſarum bello in Marathoniis campis voviſſe Athenienſes, totidem ſe hircos Dianæ immolaturos, quot peremiſſent hoſtes. Quòd cùm implere imprimis cuperent, non quiſſe tamen, etiam capris adjectis, vel ſuccidaneis. *Cæl. lib. 23. cap. 26. Antiq. Lect.*

Ad Plateas Græcorum copiæ, MARDONIUM Ducem cum CCC. Perſarum millibus occidione deleverunt, & Eleutherio, id eſt, Liberatori Jovi templum conſtruxerunt, & certamen gymnicum coronatum deſignavere, Eleutheria ludos ipſos E vocitantes. Eorumque, qui in prælio obierunt, ſepulchrum publicè conſtruxere. *Strabo lib. 9.*

Cùm in Eleorum fines hoſtiliter ARCADES invaſiſſent, contraque eos aciem Elei direxiſſent, mulierem ajunt infanti puero mammam præbentem ad Eleorum Duces veniſſe, ſeque cùm puerum eum peperiſſe diceret, addidiſſe, monitam per ſomnium, ut eum pugnæ ſocium Eleis adjungeret. Ibi eos, qui ſummæ rei præerant, puerum nudum ante ſigna collocandum curaſſe. Impreſſione ab Arcadibus facta, puerum in eorum conſpectu in anguem mutatum. Eo prodigio hoſtes territos in fugam ſe protinus dediſſe: acriter Eleos inſtitiſſe. Parta verò inſigni victoria, à ſervata civitate nomen Soſipolidi inditum: quoque loco in cavernam viſus fuerat ſe anguis abdidiſſe, confecto prælio fanum erectum, & Soſipolidi patrio genio dicatum. Honores Lucinæ decreti, quòd ab ea in lucem puerum illum ſibi editum interpretati ſunt. *Pauſ. lib. 6.*

ROM. Duces compotes victoriæ, ſuſcepta vota, Peſſinuntem profecti, Matri Deum ſæpenumerò ſolverunt. *Val. Max.* F *lib. 1. cap.* 1.

ROM. poſtridiè Non. Julias re bene geſta cùm pridie à Tuſcis in fugam verſi eſſent (unde Populifugia dicuntur) poſt victoriam certis ſacrificiis Vitulationem fecerunt. Sic enim vocant ſacra Vituliæ, id eſt, Victoriæ Deæ, ſic dictæ; quòd lætitiæ præſit. Unde verbum Vitulare, Græcis παιανίζειν, hoc eſt, voce lætari. Ut & *Virgil.*

—— *lætumque choro pæana canentes.*

Alii tamen Vitualem Deam ab eo dictam putant, quòd potens ſit vitæ tolerandæ: ideòque ſacra ei pro frugibus fieri, quibus humana vita toleratur. Unde *Virgil. Eclog.* 4.

Cùm faciam vitula (hoc eſt, vitulatione) *pro frugibus, ipſe venito.* Niſi fortè hæc eadem Dea victoria eſt, ut potè, quam ſequi ſolet pax, pacem autem agricultura, quando in vomeres gladii vertuntur. *Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 2.*

Captis Veiis, dictator FUR. Camillus auctor fuit, ut decima Vejentanæ prædæ, quam pro victoria voverat, Apollini perſolveretur. Pontificum decreto edictum, ut quicumque ex ea præda attigiſſet, ſe, domumque ſuam ſolveret religione, decimam partem eorum, quæ bello capta eſſent, ad domum Apol- G lini mittendum, in publicum conferret. Avertit ea res multitudinis ſtudium à Camillo, materiamque poſteà præbuit inimicis illius ad populum criminandi. Ad quam invidiam eximendam, Pontifices, Camilli juſſu, & patrum adhibito, omnem Vejentanam prædam cum muris, & ægro æſtimarunt, quanti ſcilicet incolumes adhuc Veii æſtimari potuiſſent, tantùmque eſt pecuniarum ex publico depromptum, ut decimam rerum omnium partem exæquaret. Intereà nova cura inceſſerat, unde tantùm auri ex ea pecunia pararetur, ut ſatis eſſe poſſet ad donum Apollini conflandum Matronæ ſua ſponte, quicquid auri in ornatum habuere, ad ſacri muneris uſum in medium contulere. Pro qua oportuna munificentia eſt eis datum, ut plauſtro ad ſacra ludoſque veherentur, feſtis verò diebus, ac profeſtis, carpento alioqui uti poſſent, pecuniæ nihilo ſeciùs pro auro ſingulis datæ, hæc Livius. Plutarchus non carpenti uſu, ſed ut in funere mulieres laudarentur, datum ſcribit, cùm ad id tempus honor ille viris ſolùm dari eſſet ſolitus. Aureus crater conflatus, qui Delphos portaretur, octo talentorum. *Sab. lib. 9. Enn.* 3.

Cùm de Vejentibus CARVILIUS conſul triumphaſſet, æriſque gravis trecenta nonaginta millia in ærarium detuliſſet: H de reliquo, quod ex manubiis, & omni præda exactum fuit, Fortis Fortunæ ædem, propè illam, quæ à Servio Tullio dicata fuerat, faciendam locaſſe, T. Livius auctor eſt. Cujus dies annua octavo Kalendas Julias celebratur: quo tempore Haſdrubal periit, & Maſiniſſa, Syphacem bello vicit. *Alex. lib. 1. cap.* 13.

P. SEMPRONIUS primogenitæ fortunæ ædiculam ſecundo bello Punico vovit, & voti reus dedicavit. *Idem.*

M. ACILIUS Conſul, in apparatu belli contra Antiochum ludos magnos votos, magno ſumptu per dies decem continuos celebraſſe traditur. *Alex. lib. 3. cap. 22.*

Victis ad aquas Sextias Leutonibus, ſecundùm pugnam legit C. MARIUS ex armis, & ſpoliis barbaricis elegantiſſima, & inviolata, quæ ſpeciem valebant triumpho magnificam præbere. Reliquorum acervo in pyram accumulato amplum ſacrificium fecit: circumfuſoque in armis, & coronato exercitu, præcinctus de more, atque prætexta velatus, ardentem ferebat facem, eamque ambabus manibus ad cœlum ſuſtollens para-

parabat ſubdere pyræ, cùm accurrentes ad eum citatis equis A amici deſilierunt ex equis, atque eum amplexi nunciaverunt læti quintum conſulatum, literaſque ei de hoc reddidere. Ita cùm magna gratulatione ſolemnitas cumulata eſſet victorialis: hinc exercitus exultans plauſu quondam militari, & armorum crepitu perſonavit: hinc legatis alteram imponentibus coronam Mario, ſubdidit flammam pyræ, & ſacra peregit. *Plut. in Mario.*

L. LUCULLUM, qui Mithridatem vicit, Maximis opibus, & honoribus auctum eſſe eam ob cauſam putarunt Rom. quòd decimas prædæ, ex Oriente partæ, Herculi conſecraſſet.

ROM. IMP. adverſùs hoſtes dimicaturi, Matri Deorum multa ſæpènumerò vota fecerunt: victoriam nacti, in Peſſinuntem Phrygiæ proficiſcentes, ſumma devotione Deæ votum perſolvebant. *Val. Max. lib. 1. cap. 2.*

HOSTES DEPULSOS.

Adverſùs Thurios navigabat DIONYSIUS, contraque ipſos triginta naves agebat. Boreas verò ex adverſo reluctans, navigia confringebat, & univerſas navales ejus copias delebat. Ex eo rem divinam Boreæ faciendam Thurii inſtituerunt, & B publicis decretis civem ſuum renunciarunt: ſinguliſque annis ſacrificia obtulerunt. *Ælian. lib. 12. de Var. hiſt. Pauſ.* idem Megalopolitas feciſſe refert.

Hyperæſienſes Dianæ Agreſti templum dedicarunt ob hoſtes Sicyonios propulſatos. Cùm enim in eorum agrum Sicyonii irrupiſſent, nec ipſi eorum multitudini pares eſſe poſſe viderent: capris omnibus, quæ in eorum erant finibus, faces ardentes cornibus alligarunt. Sicyonii hoſtes eas arbitrati eſſe, agmen retrò egere. Sicque ab hoſtibus liberata Hyperæſia, mutato veteri nomine à capris urbs Ægira dicta eſt, quoque loco ex illis una eximia ſpecie, reliquiſque capris dux capra procubuerat, ibi templum Dianæ Agreſtis erexere: quod illius propitio numine in mentem ſibi veniſſe interpretati ſunt eo dolo hoſtem eludere: *Pauſ. in Achaicis.*

Rediculi templum extra portam Capenam poſt ſecundum bellum Punicum conſtruxerunt Rom. eo quòd propitii Dei HANNIBALEM ab expugnanda urbe avertiſſent, & inde parum feliciter ad ſuos perveniſſent. Ideò autem Rediculi nomen templo inditum, quòd viſis quibuſdam, & oſtentis territus, nullo edito negotio Hannibal ad ſuos rediiſſet. *Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 4.*

C Anno poſt libertatem partam decimo octavo, cùm MARTIUS CORIOLANUS exul bellum intuliſſet patriæ, nec armis repelli poſſet, nec precibus flecti: lachrymis mulierum flexus eſt, templumque extructum Fortunæ muliebri via Latina ad quartum milliarium ab urbe: quod cum dicaretur, bis locuta eſt imago. Priùs ſic: Ritè me matronæ vidiſtis, ritèque dedicaſtis. Livius, & Valerius, & Plutarchus auctores. *Lactant.* verò *lib. 2.* Fortunam muliebrem denunciaſſe periculum ſcribit, hoc eſt, haud dubiè, quod poſterius locuta eſt. Hujus fortunæ ſignum nefas eſt attingi, niſi ab ea, quæ ſemel nupſit. Feſtus. *Lud. Vives in lib. 4. Aug. de Civ. Dei cap. 19.*

BELLUAS DEPULSAS.

Sicyone in foro APOLLINI Lycæo templum fuit erectum, hac occaſione. Cùm lupi ovilia tantoperè vexarent, ut nullus jam ex illis capi fructus poſſet: monſtravit Apollo, quo loco aridum quoddam lignum jacerent: cujus corticem carnibus permiſtum cùm ex eodem oraculo lupis Sicyonii appoſuiſſent, ſtatim illi interempti ſunt. Lignum quidem ipſum in ædem Lycæi Apollinis poſitum eſt, ſed qua ſit ex arbore, ne ipſi D quidem norunt civitatis antiquitatum interpretes. *Pauſ. in Corinth.*

INUNDATIONEM SEDATAM.

Templum NEPTUNO Proſclyſtio Argivi erexerunt, quod cùm maximam agri partem eo tempore Neptunus diluerit, quo Inachus, quique ei in conſilio adfuerunt, terram eam Junonis eſſe debere pronunciarunt: at deinde cùm eum Juno oraſſet, undam reduxerit. *Pauſ. in Corinth.*

Trœzene extra muros NEPTUNO Phytalmio erectum eſt templum, eo tempore, quo iratus Deus agri fructus, immiſſis in arva ſalſis aquis corrupit. Eo poſteà ſacris, & votis placato fanum erectum eſt. *Idem.*

REI AMISSÆ RECUPERATIONEM.

ULYSSES, cùm equas perdidiſſet, & eas quærens totam Græciam peragraſſet poſtremò, quo loco eas reperit, ibi Dianæ templum, quam Eurippen cognominant, addito equeſtri Neptuni ſigno, erexiſſe dicitur. Ac ſanè inventas equas, ita in ea Pheneatici agri parte in Arcadia, ut in continenti contra ithacam terra boves paſcendas locavit. *Pauſ. in Arcad.* E

LIBERTATEM RECUPERATAM.

Hypermneſtra abſoluta in judicio, in quod vocata fuerat à patre DANAO, quòd non cum reliquis XLIX. ſororibus prima nuptiarum nocte Lynceum ſponſum interfeciſſet, ædem Dianæ Suadelæ Argis extruxit. *Pauſ. in Corinth.*

Colias, ædes Veneris à quodam ATTICO Adoleſcente condita: qui captus à Tyrrenis, cùm vinctus apud illos ſerviret, adamatus ab herili filia, & ſolutus, domumque reverſus hanc Veneri gratiam pro ſalute retulit, fano in littore, unde raptus fuerat, extructo: & nomine à membris; quæ vinculis preſſa fuerant, indito. Alii dicunt, Jone immolante, accipitrem κωλῆν, id eſt, anteriorem victimæ partem raptam, cum in locum detuliſſe, κωλιάδα inde dictum. *Suidas.*

TYRANNOS PULSOS.

Carna Dea erat in Latina hiſtoria, quam vitalibus humanis præeſſe credebant. Ab ea petebatur (Macrobius inquit) ut jecinora, & corda, quæque ſunt intrinſecùs viſcera, ſalva con- F ſervaret. Huic templum dicavit BRUTUS, quia cordis beneficio publicum ſtatum emendaſſet. Hanc eſſe cardinis deam, intellexit ſexto Faſtorum Ovidius. Et Jun. Kalendas (quas vulgò Fabarias dicunt, quia fabæ adultæ divinis adhiberentur rebus) illæ ſacras veteri tradidit ritu illis verſibus:

Prima dies tibi Carna datur, dea cardinis hæc eſt:
Numine clauſa aperit, claudit aperta ſuo.

JANI porrò cum hac concubitum celebrat idem Poeta: Quod ignoraſſe Auguſtinus videtur, quando Divinæ civitatis ſeptimo ita ſcribit: De Jano non mihi facilè quicquam occurrit, quod ad probrum pertineat, & fortè talis fuit, ut innocentiùs vixerit, & à facinoribus, flagitiiſque remotius. *Cæl. lib. 9. cap. 8. A. L. ex Plutarcho.*

QUOMODO GRATIÆ actæ.

SUPPLICATIONE.

ROMANI, ſi quando feliciter contra hoſtes pugnaſſent, viri ſimul, ac mulieres egregiè veſtiti, Deorum templa ingredientes, Diis gratias ob rem bene geſtam agebant. *Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 16.*

Poſtquam Romæ, quæ C. JUL. CÆS. in Gallia geſſerat, & li- G teris, & nunciis audita ſunt, ſupplicatio ejus nomine in quindecim dies decreta eſt, quod ad id tempus datum erat nulli. *Sab. lib. 6. En. 6.*

D. BRUTUS ob profligatum Antonium bello Mutinenſi quinquaginta dierum (quod anteà nulli contigit) ſupplicationes meruit. *Alex. lib. 5. cap. 26.*

CICERONI togato, & præſenti, quòd Rempublicam è conjuratorum manibus eripuiſſet, & cives conſervaſſet, ſupplicationem decretam legimus, cùm alias abſentibus tantùm ſupplicationes decernerentur. *Idem.*

Victo ad Mutinam M. ANTONIO ab Octavio, Cicero cenſuit, ut quinquaginta dierum ſupplicatio decerneretur, quot dierum nullo unquam tempore fuerat decreta: & ut ſaga deponerentur, quorum ſumendorum idem patribus fuerat auctor. *Sab. lib. 8. En. 6.*

TEMPLORUM EXTRUCTIONE.

ROMULUS cæſo Acrone Rege Ceninenſium, ubi in Capitolium venit; Feretrii Jovis templum eſt metatus adeò modicis finibus, ut longitudo denos haberet pedes, amplitudine H dimidio minore. Huc opima ſpolia poſt Romulum Cornelius Coſſus ex Larte Tolumnio retulit. Noviſſimè omnium Marcellus eodem loco ſpolia Duci Gallo detracta, Jupiter Feretrii cognomen eſt adeptus, & quidem ajunt, à ferendis ſpoliis, in qua Dionyſius fuit opinione. Plutarchus à feriendo, quoniam Romulus percuſſo hoſte, prima illa fuiſſet adeptus: *Sabell. lib. 3. Enn. 3.*

SACRIFICIIS.

De SAMNITIBUS hujuſmodi vulgatus eſt ſermo, Sabinos adverſùs Umbros diutino certantes bello quorumdam morè Græcorum votum feciſſe, ut eo anno nata immolarent. Rè igitur bene geſta reverſi, nata partim ſanctificarunt, partim conſecrarunt. Cæterùm facta ſterilitate, vulgatum eſt à quibuſdam, oportere & liberos conſecrari: quod & patraverunt. Siquidem editos in lucem pueros Matri conſecratos acclamaverunt. Eos autem